TOMVS QVINTVS MATHEMATICORVM HYPOMNEMATVM, DE MISCELLANEIS.

Quo comprehenduntur ea in quibus ſe exercuit

ILLVSTRISSIMVS, ILLVSTRISſimo & antiquiſſimo ſtemmate ortus Princeps, ac Dominus MAVRITIVS, Princeps Auraïcus, Comes Naſſoviæ, Cattimelibocorum, Viandæ, Moerſii, &c. Marchio Veræ, & Vliſſingę, &c. Dominus civitatis Gravæ, & ditonis Cuyc, civitatum Vyt, Daeſburch, &c. Gubernator Geldriæ, Hollandiæ, Zelandiæ, Weſtfriſiæ, Zutphaniæ, Vltrajecti, Tranſiſalanę, &c. Imperator exercitus Provinciarum fœdere conſociatarum Belgii, Architalaſſus Generalis, &c.

Conſcriptus à SIMONE STEVINO.



LVGDVNI BATAVORVM,
Ex Officinâ Ioannis Patii, Academiæ Typographi.

Anno CIↃ. IↃ. C. VIII.

MISCELLANEORVM BREVIARIVM.

DVm in recolligendis Mathematicis iſtis hypomnematis variæ de diverſis rebus materiæ mihi ſe offerrent, quæ ſingulæ ab exilitatem ſingularis tomi titulo inſcribi non videbantur mereri, illas omnes in unum tomum conjeci, quem ordine quintum conſtitui, & Miſcellaneorum titulo inſignivi, cujus partes erunt iſta.

Prima De Annotationibus Arithmeticis.

* Bouckhouding. *Secunda De * Apologiſtica Principium.*

Tertia De Muſica Theoria.

Quarta De Architectura.

Quinta De Polemica.

Sexta De variis.

PARS PRIMA
MISCELLANEORVM,
DE
ANNOTATIONIBVS.
ARITHMETICIS.

Digitized by Google

BREVIARIVM
PARTIS PRIMÆ.

CVm PRINCEPS ILLVSTRISSIMVS *jam olim ſtatuiſſet luſtrare, & penitus perſpicere Arithmeticam meam, quam antea anno* 1585 *Francico idiomate publicaveram, eamqúe non ſolum penſiculatius & penitius ſcrutaretur, ſed ſuis etiam propriisqúe inventis illam cumularet, quæ ego tum ſcriptis mandabam & aſſervabam, ea nunc viſum eſt hoc loco ſubjicere.*

Digitized by Google

I CAPVT.

De Algebricis Zetematis, quæ Diophanto Arithmeticorum theorematum ſubſidio, at PRINCIPI ILLVSTRISSIMO etiam ſine iis expedita ſunt.

CVm PRINCEPS ILLVSTRISSIMVS in ſupra jam citata Arithmetica noſtra definitiones rationalium figuratorū numerorū, eorumq; logiſticam in Additione, Subductione, Multiplicatione & Diviſione pervidiſſet, adq; Diophanti libros in Francicam linguam à me cōverſos perveniſſet; cujus propoſitiones tanquam Algebricorū præceptorū uſum exprimētes ipſis ſubjeceram, hîc non placuit ipſi meas quæſtionum exegeſes imitari, atq; illarum veſtigiis penitus inſiſtere, ſed propriis & ex ingenio ſuo depromptis epichirematis uti voluit, ac tandem ita inventos à ſe numeros cum aliorū ſolutionibus cōtendebat. Atqui cum uſurpatio figuratorum numerorum quæſiti veſtigia relegenti & indaganti adeò ſæpe obſcura ſit, ut quaſdam propoſiti zetematis proprietates propriis theorematis explicari neceſſe eſſet, iſte modus ILLVSTRISSIMO PRINCIPI nō probabatur, dicebat enim inſolitas iſtiuſmodi propoſitiones, & ſubtiles figuratorum poſitiones non ſemper in promptu eſſe, aut excogitari poſſe cum talia zetemata ſolvenda objiciuntur: Atque ideo pro his, ac ſicubi aqua ipſi hæreret aliam viam uſurpabat, adhibitis in conſilium *Quantitatibus* quas *ſecundas* vocant, atque ita ſcopum contingebat optatum. Verum è variis exemplis unicum duntaxat oculis ſubjiciam, cum ad 19 Zetema 2 libri Diophanti deveniſſemus (ubi numeri à quæſito diſſident, & commentator Xylander qui iſtos corrigere voluerat, in eoſdem errores impingit) & PRINCEPS ILLVSTRISSIMVS ejus calculum ad ſupraſcriptam generalem doctrinam revocaſſet, hoc ſolum, loco omnium reliquorum Zetematum ab ipſo ſolutorum, hîc ſubjiciam. Cæterum ipſum Diophanteum zetema ita habet.

19 Zetema 2 libri Diophanti.

Dividuntor 80 trifariam ut ſi à ſumma conflata ex ſecundo & $\frac{1}{5}$ primi plus 6, ſubducatur $\frac{1}{6}$ ſecundi plus 7; Itemque à ſumma tertii & $\frac{1}{6}$ ſecundi plus 7, ſubducatur $\frac{1}{7}$ tertii plus 8; Atque à ſumma primi & $\frac{1}{7}$ tertii plus 8, ſubducatur $\frac{1}{5}$ primi plus 6, ut, inquam, tres iſti reliqui æquales ſint.

Conſtructionis pars prima.

PRINCEPS ILLVSTRISSIMVS primum numerum ſeu optatam partem ipſius 80 ſtatuit - - - - - - 1 ①.

Iam verò quia ad poſitionem ſecundi aditus ſit intricatior, reſque hæc ſit operoſa & ardua ut ea ſtatuatur in characteribus primo homogeneis, hoc eſt in ①, atque id alio compendio indagandum ſit, poſuit pro ipſo - - - - - 1 *ſecund.* ①.

 Quare

Quare conſequens eſt tertium numerum eſſe — 1 ① — 1 *ſecund.* ① + 80.

Atque ſi tribus his numeris zetematis leges relegas atque æmuleris, videlicet de ſumma ſecundi & $\frac{1}{7}$ primi numeri + 6, ſubducas $\frac{1}{6}$ ſecundi + 7, ſupererit reliquus primus - $\frac{1}{6}$ *ſecund.* ① $\frac{1}{7}$ ① — 1.

Et rurſum de ſumma tertii & $\frac{1}{6}$ ſecundi + 7, ſubducas $\frac{1}{7}$ tertii + 8 ſupererit reliquus ſecundus - — 6 ① — $\frac{291}{42}$ *ſecund.* ① + $\frac{471}{7}$.

Hi duo reliqui inter ſe ex ſententia quæſtionis æquales erunt, quâ æqualitate ſecundum artis præcepta reductâ tandem inveniebat - - - - - - 1 *ſecund.* ① Æqualem — $\frac{111}{160}$ 45.

Conſtructionis pars altera.

Revocato igitur valore 1 *ſecundæ* ① (quæ optatæ partitionis pars erat altera) ad numeros figuratos poſitionis prioris — $\frac{111}{160}$ ① + 45, operis exegeſin denuo iteravit, hoc modo:

Prima optata numeri 80 pars ſit - - - - - 1 ①.

Secunda - - - - - - - $\frac{111}{160}$ ① + 45.

Iam ut tertia pars conſtituatur inveniendus ante eſt valor — 1 *ſecundæ* ①, quæ in numero ordinis tertio uſurpatur, is autem invenitur ex proportione, 1 *ſecunda* ① dat ① — $\frac{111}{160}$ ① + 45, ergo — 1 *ſecunda* ① quid dabit? concludes $\frac{111}{160}$ ① — 45 iſte numerus in locum — 1 *ſecunda* ① ſubrogatus & cum cæteris — 1 ① & + 80 compoſitus, conflabit numeri 80 optatam partem tertiam - - - - — $\frac{49}{160}$ ① + 35.

Atque ſi iſtis tribus numeris propoſiti Zetematis leges ſequaris, videlicet ſi de ſumma ſecundi & $\frac{1}{7}$ primi + 6, ſubducas $\frac{1}{6}$ ſecundi + 7, ſupererit reliquus primus - - — $\frac{121}{320}$ ① + $\frac{73}{2}$.

Simili ratione invenietur ſecundus reliquus - — $\frac{121}{320}$ ① + $\frac{73}{2}$.

Et tertius reliquus - - - - — $\frac{121}{160}$ ① + 7.

Quamobrem cum tertius iſte reliquus utrilibet antecedentium æquetur, videlicet — $\frac{121}{160}$ ① + 7 æqualia ſint ipſis — $\frac{121}{320}$ ① + $\frac{73}{2}$, reducta æqualitate invenit tandem 1 ① valere $\frac{9440}{363}$ pro parte prima: Et — $\frac{111}{160}$ ① + 45 valere $\frac{9786}{363}$ pro parte ſecunda: Denique — $\frac{49}{160}$ ① + 35 valere $\frac{9814}{363}$ pro parte tertia.

DEMONSTRATIO. Inventi iſti numeri ſimul compoſiti 80 conflant, & propoſitæ quæſtionis leges implent, nam ex Zetematis ſententia ſinguli ut decet relinquunt $\frac{9680}{363}$.

CONCLVSIO. Quamobrem 80 diviſus eſt in partes tres, ut &c.

1 NOTA.

Conſtructio antecedentis zetematis tantum unis *quantitatibus ſecundis* uſa eſt, verum in quibuſdam uſu venit ut ipſorum valore & poteſtate ſemel reſoluta in poſitione uſitata, ac cum his quaſi legibus ſecutis, etiam ſecundò *ſecundarum quantitatum* poſitiones uſurpandæ fuerint, atque ita iterata *ſecundarum quantitatum* poſitione à PRINCIPE ILLVSTRISSIMO nonnunquam quoque operis exegeſis ad tertiam *ſecundarum quantitatum* poſitionem devolvebatur. Et quamvis hæc compendioſius poſſint expediri uſurpatis *tertiis* & *quartis iſtiuſmodi quantitatibus* ſingularum valore ſingulari conſtructione non opus

opus habente, videbatur tamen prior modus longè commodior, ne opus eſſet animum tam acuta aut ſubtili contemplatione torqueri.

2 NOTA.

Quamvis abacus *ſecundarum quantitatum* non jam demum à nobis inventus ſit, nam apud Algebricos ſcriptores nonnulla hujus veſtigia & paradigmata extant, quia tamen me fugit utrum tantus ejuſdem uſus in tam variis quæſtionibus fuerit, quam crebrò PRINCEPS ILLVSTRISSIMVS eaſdem uſurparit, idque certa adeò & conſtanti via, ut plurima zetemata in quibus multi logiſtæ multùm ſe torquerent ſæpe prima poſitione non iterata operatione optatos veroſque numeros exhiberent, putavi ideo ab hoc capte aliquam utilitatem redundaturam ad eos qui ſecundarũ quantitatum effectus accuratius deinceps obſervabunt: Id ſane profiteor, ſi hæc tes in vertendis Diophanti libris mihi æquè atque nunc perſpecta fuiſſet, me illa theoremata quæ oblivioni facile traduntur omiſſurum fuiſſe: memoria enim adhuc teneo tantam tamque planam hujus notitiam (qualem ILLVSTRISSIMVS PRINCEPS aperuit) mihi tum pro imperfecta habitam.

Atque hæc quidem de propoſito negotio, prout nunc quidem ſentio, dictum eſto. Verumenimverò ſi quis iſta plenius tractarit, fuſiuſvè proſecutus ſit quam ego vel viderim, vel norim, is me excuſatum habeat; nihil enim quidquam alieno honori derogatum volo.

Illud præterea ad extremum hoc loco mihi dicendum puto, PRINCIPEM ILLVSTRISSIMVM optatam ſolutionem haud raiò aſſequi non potuiſſe uſurpatis *quantitatibus ſecundis*, cum Diophantea Zetemata tequirerent quadrata lateravè definitæ habitudinis in numeris rationalibus: ſed cum Zetemata illa infinitas ſolutiones admittant, videtur totum hoc genus minoris æſtimandum. Quibus tamen illa placebunt perculum faciant quantum in illis proficiant uſurpatis *quantitatibus ſecundis*, neque adhibitis in auxilium tertii quartique libri theorematis.

2 CAPVT.

Datis tribus quibuſcunque terminis Algebricis, quartum ipſis proportionalem, vel accuratè, vel ſaltem ut proximè acceſſione infinita invenire.

In ſupraſcripta Francica mea Arithmetica à 66 ad 80 uſque problema docui inventionem quarti proportionalis datis tribus numeris Algebricis, quouſque tum hanc materiam tractatam & cognatam judicabam, poſtmodum verò catholicum theorema adinveni, ut datis tribus quibuſcunque Algebricis numeris quartus proportionalis inveniri, hoc eſt valor 1 ① explicari poſſit, idque vel accuratè vel ſaltem quàm libet proximè, quod ipſum in uſu ſæpè tantundem eſt, atque illa operis exegeſis quæ mathematica demonſtratione innixa eſt: nam quemadmodum ſinuum tabulæ non uſquequaque ad amuſſim accuratiſſimæ ſunt, in uſu tamen haud aliter obtinent ac ſi ſuis propriisq; multinomiis ſeu irrationalibus numeris eſſent expreſſæ, inventæque ex diametri ad perimetrum ratione, pro quibus ipſis tamen etiamſi haberentur, propter uſum priores illi rationales ſubrogandi forent. ita quoque hoc loco vero proximi pro ipſis veris probantur, & uſurpantur.

DATVM. Tres termini algebrici ex ſententia propoſiti exponantur, hoc modo, ut primus ſit 1 ③, ſecundus 3000 ① + 3391504, tertius 1 ①.

QUÆSITUM. Quartus proportionalis inveniendus eſto.

CONSTRVCTIO. Vt ſummatim operis exegeſin conſtructioniſque modum complectar, ita habe.. Primum inveniendus eſt numerus notarum arithmeticarum ad quas valor 1 ① revocandus ſit, cognita jam & definita hac multitudine, deinceps prima erit inveſtiganda, quam harum novem notarum 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9 aliquam eſſe neceſſe eſt: tumque deinde invenietur ſimili etiam modo ſecunda, cæteræque deinceps omnes.

Quamobrem ut ad rem ipſam deveniam, quantumque 1 ① valeat inveniam, fingo primum ejus valorem eſſe 1, ergo 300 ① valebunt 300, per 67 problema Arithmeticæ, huc additis 33915024 dabitur valor ſecundi termini 33915324: eritque terminus primus tantum 1, quod juſto minus eſt, debebat enim primi termini valor valori ſecundi adæquari: Secundo igitur hujus abaci aleam tentabo, & ſtatuam 10 pro valore 1 ①, ſimiliterque ut prius tentando invenio valorém termini ſecundi 33618024, primi autem 1000, qui numerus rurſum juſto eſt minor. Quamobrem tertio quoque epichiremate experiunda mihi eſt hæc res, ponoque 1 ① nunc valere 100. Et cum hîc numerus à juſto deficiat, ponam quarto 1000, ubi primus terminus major invenitur ſecundo; atque ideò valor 1 ① major erit quàm 100, atque minor quàm 1000, unde efficitur ipſum tribus notis definiri.

Quæ cum ita ſint neceſſe eſt primam notam eſſe harum novem 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9 aliquam: atqui jam ſupra periculum fecimus in unitate, hoc eſt in 100, iſque numerus à juſto deficere eſt deprehenſus, quare jam à 2 auſpicium ſumam, ponendo 200 pro valore 1 ①, & cum minor juſto deprehendatur, tranſibo ad 300, & quia hic quoque minor eſt, uſurpabo 400 is autem juſtum excedit; quod arguit primam notam eſſe 3.

Porrò ad ſecundæ notæ inveſtigationem tenendum eſt eam eſſe ex harum numero aliquam 0, 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9: Sed ante jam 0 à nobis uſurpatus eſt, in 300 qui à juſto deficiebat; ponam igitur ſecundo loco 1, hoc modo 310, & cum hunc debito minorem animadvertam; periculum faciam in 320, atqui & hîc infra juſtum conſiſtit; quare ad 330 tranſibo, qui juſto major eſt; quod mihi argumento eſt ſecundum characterem eſſe 2.

Porrò autem ad tertiæ notæ inveſtigationem certum eſt eam neceſſariò ex harum numero 0, 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9 eſſe aliquam: ſed 320, (ut ſupra jam vidimus) à vero deficiunt, ponamus igitur 1 amplius 321, qui rurſum juſto minor deprehenditur: hinc 322 qui item minor eſt: tum 323 qui perinde à vero deficit; denique 324 ubi primi termini valor, valori ſecundi æqualis, hoc eſt uterque 3412224 invenitur; quo argumento planum mihi fit, valorem 1 ①, ſeu optatum quartum proportionalem eſſe 324. ut enim 34012224 valor primi, ad 34012224 valorem ſecundi, ita 324 valor tertii, ad quartum 324.

CONSECTARIUM.

Planum eſt è præmiſſis, ſi valor 1 ① numeris integris definiatur, eundem plenè exacteque inveniri.

Sin verò expoſitus abacus non abſolute integris numeris explicari potuiſſet, ut dicis gratiâ ſi ⓒ ſeu numerus explicabilis pro 3391 5024 tantum fuiſſet

fuiſſet 33900000, tum 323 juſto minor, & 324 eodem fuiſſet major; quod ipſum indicio eſt valorem 1 ① eſſe 323 cum parte aliqua quæ unitate ſit minor. Sed ut illa pars vel accuratè, vel ſaltem quam proximè inveniatur, ponam 323 cum o, ipſiſque 10 ſubjiciam pro nomine, hoc modo $\frac{3230}{10}$, partes ita poſitæ ſunt pro 323 integris, quæ juſto cum ſint minora, ideo o numeratoris valebit aliquam harum notarum 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9; quâ notâ inventâ, ſi in opere aliquid ſit reliqui, ad numeratorem nomenque alterum o adjicias, & operis ſucceſſum tentabis quemadmodum prius, ut cognoſcas quænam nota in locum o ipſius numeratoris ſubſtituenda ſit, ſicque opere infinitè continuato, ad verum aſſiduè propius acceditur.

Cum autem valor 1 ① minor erit unitate, ineundum erit tibi ratiocinium periculo facto in $\frac{1}{10}$, quæ ſi juſtum numerum excedat deſcendes ad $\frac{1}{100}$, & ſi neque hoc ſatis ſit ad $\frac{1}{1000}$ & ita deinceps. Atqui verò ſi $\frac{1}{100}$ juſtum excedat, ac $\frac{1}{1000}$ juſto cedat id argumento erit primam numeratoris notam eſſe majorem quàm 1, & minorem quàm 10, itaque vel erit 1, vel aliqua harum notarum 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9, qui numerus cum erit vero proximè minor inventus, ſi quid de ratiuncula ſit reliqui, augendus erit nominator & numerator unico o, tumque ut prius periculum facies quis numerus pro noviſſimo numeratoris o ſit ſubſtituendus, ac ſimili deinceps in conſequentibus via erit inſiſtendum.

Notato præterea cum valor 1 ① ſit fractus, ſeu in partibus exhibendus, fieri quidem poſſe ut infinita ad verum numerum fiat acceſſio, neque tamen unquam ipſum verum aſſequaris. Vt dicis gratia fingamus ignotum 1 ① valorem eſſe $\frac{5}{6}$, nomenque partium ſtatui 10, invenies ſecundum expoſita præcep[illegible] numeratorem eſſe 8, hoc modo $\frac{8}{10}$. Sed cum minor ſit juſto, utriq; adjiciam o, hoc modo $\frac{80}{100}$. factoque periculo quis numerus in locum o ipſius, numeratoris ſit ſubrogandus, numerum proximè minorem invenio 3, hoc modo $\frac{83}{100}$, qua operatione tertium iterata invenies $\frac{833}{1000}$: & quartum invenies $\frac{8333}{10000}$: Atque ſimili in cæteris deinceps proceſſu vides aſſiduè quidem nos propius verum collimare, nunquam tamen aſſequi ipſas $\frac{5}{6}$, quia nullus numerus ſine partium appendicula dari poteſt, cujus ratio ſit ad 10; vel 100, vel 1000 (aliúmve aliquem per decumas ſcandentem) quæ 5 ad 6.

Ad extremum quoque exemplum in medium huc poſſet adduci ubi 1 ① valor numeris radicalibus ut vocant, ſeu ἀῤῥήτοις explicatur, ſed cum illa infinita appropinquatio ex ſupra ſcriptis ſatis evidens ſit, non eſt cur hunc locum lucis indigere putem.

Demonſtratio verò omnium ex operis filo ductuque plana eſt & perſpicua, neque altera opus haber.

CONCLVSIO. Datis itaque tribus quibuſcunque numeris algebricis, quartum proportionalem invenimus vel verè, vel ſaltem proximè. ut petebatur.

NOTA.

In hâc prima Miſcellaneorum parte aliæ adhuc quam plurimæ annotatio.nes Arithmeticæ deſiderantur, cauſa autem cur ab illis nunc abſtinuerim manum in Nota ad quinti Tomi finem explicabitur.

ANNOTATIONVM ARITHMETICARVM FINIS.

SECVNDA PARS
MISCELLANEORVM,
DE
APOLOGISTICA
PRINCIPVM RATIO-
CINIO ITALICO.

Digitized by Google

Digitized by Google

ARGVMENTVM.

PRincipis Apologiſtica Italorum ratiocinium imitata, ars iſta nobis appellatur; ut à negociatorum Apologiſticâ, itidem Italorum ratiocinium imitatâ, diſcriminetur. Ab Italis enim non ita pridem inventa, & exercita creditur, quamvis non pauci etiam priſcis Romanis cognitam, & uſurpatam contendant, cujus rei argumenta ſuo loco in medium producemus. Verumenimverò quoniam Principis Apologiſtica ex Apologiſtica negotiatorum, rivuli inſtar è ſuo fonte, deducta eſt, multaq́ inter ſe communia habēt, iſtam (ubi cauſas, quibus impulſi ſcriptionem iſtam aggreſsi ſumus, attulerimus) breviter in compendium contrahemus, ut cōmodius Apologiſticam Principis tractare poſſimus, & quidem biſariam, prior etiam pars in Domaniis, altera in Vectigalibus, exactionibusq́ extraordinariis occupabitur, utrique ſua erunt documenta.

ÆRARII PRINCIPVM PRÆFECTIS.

QVandoquidem publicas pecunias, certa lege colligi, rationesq́ue ad ærarium referri, Reipublicæ intereſt; plurimum jam inde à priſcis temporibus, ea cura homines exercuit, & ſollicitos habuit, ſi uſpiam ratiocinium falleret, quomodo pro virili emendare, & incommoda inde nata antevertere poſſent, hujus enim argumenti & varia edicta, & libri typis excuſi, à Francis prodierunt. Quapropter, ſi quis fortè, aut novum eſſe hunc ſcribendi modum, aut Quæſtorum errores cavillandi libidine natum putet, is toto, quod dicitur, cælo errat. Ego enim quicquid incommodi hic exiſtere poteſt, magis methodi vitio, quam hominis injuſtitiâ evenire arbitror. eoque magis, ut credam, adducor, quod non pauci digna præmia pro fide, navataq́ue operâ Dominos non remunerari conqueruntur: ideoq́ue ab illorum pecuniâ, quantum animi conſcientia permittit ſibi ſuccidunt. Sed enim, quia erit fortaſſe cui iſta reſponſio non placebit neque faciet ſatis, ſuperſedendum arbitror, Quæſtoriam ſcil. artem ab induſtriis Theſaurariis & Quæſtoribus ſubinde adjuvari, promoveriq́ue, quos mihi, ſi neceſſitas exiget, facile patrocinaturos arbitror.

ILLV-

ILLVSTRISS. MAXIMILIANO DE

Bethune, Duci de Seully, Pari Franciæ, Marchioni de Roſny, ſacri Conſiſtorii & interioris conſilii Senatori, Regis Cubiculario, Centum cataphractorum equitum, & Viarum, & Bellicarum machinarum, & ſupremo ærarii Franciæ præfecto, Gubernatori Regis locum tenenti in Pictavia, Munimentorum munitionumq́ præfecto, &c.

Illuſtriſsime Princeps,

QVANDOQVIDEM iſtos labores meos tuo nomini inſcribere decrevi, rationem facti ante omnia tibi reddendam putavi. Opulentiorum Mercatorum ratiocinarios, quos * Caſſarios vulgo appellare ſolent, non tam facilè: quam Principum Quæſtores Dominorum pecunias in ſua commoda & uſus convertere & collocare poſſe nemo neſcit, quod Mercator ſui apologiſtæ operâ quantum pecuniæ in capſa ſit nunquam ſit neſcius: Princeps vero ignoret quantum pecuniæ Quæſtor ſuus ſub clavi habeat. Etſi enim quotannis accepti expenſique ratio ineatur, eique fiat ſatis, nihilo tamen certior eſt Princeps quantò majus ſit illud, quod ſuus Quæſtor acceptum retulit, quam id quod expenſum tulit, in unum vel plures annos ſubſequentes, quorum ratio putata nondum eſt, quæ res tota ex fide & ratiocinio Quæſtoris pendet, eoque magis, quia, præter arcariorum conſuetudinem, omnia nomina præſtare ac ſolvere debet. Vnde conſequitur inter Principem & Quæſtorem (ſecus eſt inter Arcarios & Mercatores) rationem cum nominum ſolutione nunquam exactè confici, excepto, cum aut Quæſturâ decedit, aut à vitâ defuncti hæredibus, qui tunc vel malis, vel eorum qui foro ceſſerunt nominibus, confectæ rationi ut plurimum ſa-

* *A Capſa fortaſſe tanquam Capſarios, dicuntur & Arcarii ab arcâ.*

tis faciunt, illa enim communi aliquo axiomate (quod bene utentibus, ut ſuo loco dicetur; non malè cedit) à ſe præſtari non debere contendunt. Cum ita Principi, neque de pecunia quæ penes Quæſtorem eſt, neque de ejus ratione quicquam conſtet, conſequens eſt ſi Quæſtor interrogatus, pecuniam in parato eſſe neget, Principem progredi ulterius non poſſe, etſi fortaſſe aliud ſuſpicetur, aut etiam percognitum habeat, ſuam ipſius pecuniam fœnore accipere ſe cogi, muſſitandum tamen eſſe, & quia probationis argumenta deficiunt, connivendum. Atque ſic ſciens, & prudens res ſuas retrò labi, ſeque in dies in majores anguſtias detrudi, & quicquid è magnis & ampliſſimis reditibus ſupereſſe poſſet, ſimili viâ ac diſpenſatione diſperire videt. Negotiatores ſuarum rerum prudentiores magiſque cauti ſunt. Si enim iſtâ inſiſterent viâ nemo illorum magnus & opulentus eſſet, non enim illorum Capſarii minores theſauros quam Principum Quæſtores ſibi accumulare poſſent. ſique ejuſmodi ratiocinium, in ſuis negotiationibus, quas pro illis inſtitores (factores vulgò indigitantur noſque deinceps appellabimus) faciunt, inirent, cujuſmodi principibus in uſu eſt per ſuos pecuniarum diſpenſatores, nunquam crede mihi tam multiplices, tamque copioſas mercaturas facerent, quantas ab illis quotidie fieri videmus.

Cauſa autem, quæ me ad apologiſmorum comparationem adegit, iſta fuit. Cum me in Mercatorum apologiſticâ diu exercuiſſem, deinde in tributorum vectigaliorumq; materiâ, & Antuerpiæ, & in Flandriæ tractu qui *de Vrijen* dicitur, tantum experientiæ, quantum circumſtantiæ patiebantur, eſſem aſſecutus, in cogitationem incidi, imò mihi perſuaſi Principes in tributis, & Vectigalibus ſuis, Mercatorum Apologiſticam ſecutos, non minus exactè & ad numum uſque, quantum numorum Quæſtores ſui ſub clavi teneant ſcire poſſe quam Mercatoribus illud à ſuis Capſariis innoteſcit. Neque minorem rerum inter officiarios, (ſic enim appellantur qui officio & munere aliquo funguntur) diſpen-
ſatarum

ſatarum notitiam habere poſſe, quam Mercatores mercium ab inſtitoribus divenditarum. Atq; iſta mea opinio primum in ſterili contemplatione, ſine fructu & uſu conſumebatur, imò ne per ſomnium quidem in mentem veniebat mihi fore, ut aliquando cogitationis hujus fructus caperetur, tantum aberat ut effecta redderentur, quæ mente conceperam, nemo enim unquam datus fuit qui me intelligeret, ſi hujus mentionem injeciſſem. quod pauci in hoc pulvere ſeſe exerceant, ut arbitrabar. Fortuna tamen, ſcientiæ ut plurimum inimica, Apologiſticæ nõ defuit. Illuſtriſſimus enim Princeps ac Dominus D. Mavritivs Nassovivs audirione edoctus Apologiſticam Mercatorum, artem recens invẽtam, dignam eſſe quæ inter liberales & ingenuas accenſeretur, ejus cupidine accenſus ad diſcendum eam ſe contulit, interiorem autem cognitionem aſſecutus, experientia etiam in Dominiorum materiâ, & aſſiduâ cum in ſuis, tum etiam variis Rerum publicarum gubernationibus exercitatione edoctus, rem à me diu cogitatam & preſſam non adeo difficilem eſſe penitiſſimè cognovit, ut incitamento adjumentóve ad Principis Apologiſticam perficiendum nihil indiguerit, ſtatim enim è veſtigiò in ſuis ipſius Dominiis, ubi mera illi poteſtas eſſet, neminíque obnoxia, exercere cœpit, & cum voluptate fœlicem eventum vidit. Iſto fundamento præter ſpem meam jacto, operæ pretium facturus mihi videbar, ſi deinceps cœptum opus, & quidem tribus de cauſis pro viribus urgerem, primum ut ærarii Tribunos, Quæſtores, & quiſquis eſt alius, qui artis hujus exercitationem Principibus indignam vociferantur erroris & falſitatis arguerem. Quanti enim Reges non privatim modò, ſed etiam formulis, præſcriptionibus, edictis publicatis in hac elaboraverint ignorare videntur. Tum, ut Mercatorum rationarii, ſi ad Dominiorum tributorúmve apologiſmum, quantumvis ignari, conferre ſe velint, hoc exemplari & duce uti poſſent. Denique ut publicata & publici juris facta augeri, locupletari & in uſum aulasque Principum introduci poſſet, ut ita difficultatem declinemus, &

antevertamus, quæ jam olim, quantum nobis in præteriti temporis memoriam regreſſis liquere poteſt, homines multum fatigavit & exercuit. Huic fini iſtum apologiſmi tractatum, tanquam ILLVSTRISSIMI mei PRINCIPIS palæſtram ac gymnaſium inter Mathematicas illius artes interſerui: tibi vero inſcripſi quia fama Quæſturæ prudenter in Galliarum regno adminiſtratæ lōgè lateq́ue didita vagatur, quam velut ſupremus Ephorus (ut alios ampliſſimos honores quos plurimos habes ſilentio prætercam) quantumvis collapſam brevi tempore admirabiliter in integrum reſtituiſti. quæ res me in ſpem minimè obſcuram erigit, ſi quid elucubratum adferimus, quod materiæ iſti adjumento eſſe poteſt, nullo modo tibi diſplicere poſſe.

Et quamvis ſuſpicio mihi ſuboriretur te gravioribus curis impeditum hiſce vacare nō poſſe, imò ne inſcriptionem quidem legere, & intueri: faciendum tamen tuoq́ue nomini inſcribendum putavi, quia nulla ratio, viaq́ue, quâ apologiſticam doctrinam commodius promoverem, in mentem veniebat. Vt ut eſt, etſi nullum ſucceſſum res ſortiatur, non tamen caſſus & ſine fructu labor meus erit, quia experimentum, ut dixi, quod meo Principi minime diſplicet, jam ante captum eſt, etiam ab aliis conatus meos probatum iri ſpes eſt. Vale. Hagæ Comitis. Auguſt. menſe, anni 1607.

Tibi devotiſſimus

SIMON STEVINUS.

AD LECTOREM ITALICI APOLOGISMI NON IGNARVM.

INTER *illos, qui novam quandam Apologiſmi viam ac rationem inventam eſſe famâ audiverunt, non pauci ſunt, qui illam ita cavillantur. Quicunque inveteratos errores & abuſus in dominiorum tributorumq́ue ratiociniis exiſtere ſolitos, novorum Apologiſtarum ope & auxilio ita corrigi poſſe contendunt, ut fraudes, injuriæ, aliæq́ue difficultates, quæ nuſquam non inter homines graſſantur, deinceps nullæ fiant, fruſtra ſunt, multumq́ue falluntur, & propterea non ita diu eſt, quando ad veterem modum relabentur, & novam apologiſticam ſuâ ſponte concidere videbunt. Qui ſic cavillantur, ratione non carere, alioſq́ue imbecilli fundamento ædificium hoc exſtructum arbitratos, ab hujus libri lectione deterrere poſſe videntur. Quapropter ante quam ad ipſam rem accingor opinionis hujus errorem oſtendere, & argumenti falſitatem refutare ſtatui, & quidem apud illos qui Italici Apologiſmi non ſunt neſcii, ad imperitos quid attinet? minus enim intelligunt. Cum doctis itaque ſic ago.* Magnarium aliquem, ob oculos nobis ponamus cui plures arcarii ſive capſarii diſpenſatores operas ſuas locarint: ipſi autem neq; diarium, neque accepti expenſique ſit codex, arcariorum autem ſingulis ſuæ arcæ commentarius, puris ampliſq́ue marginibus, ubi adverſaria quædam ex adverſo cujuſque nominis, ſuo quæque loco adſcribantur, quæ arcarios commonefaciant quidnam pro ſe, in rationum ſubductione, adſerre poſſent, non tamen ſigillatim adſcriberent, quid à quoque debitore accepiſſent, & quantum reſtaret, operoſum enim nimiſque intricatum opus eſſet ſingula referre, neſcirent quidem, quæ merces apud inſtitores reſtare deberent, ſupra illas quarum ratio relata eſſet. Si hæc, inquam, omnia Magnarius arcariorum & inſtitorum fidei committeret, curæq́ue relinqueret, quis ejus res non tantum non ſtabilitum, ſed ad incitas redactum iri, ut foro tandem cedere cogatur, infitias ibit?*

* *Ita Apuleius Mercatorem magnas & varias negotiationes exercentem appellat. Græcis eſt μεγαλέμπορος.*

Abſurdæ huic rationi in Magnario, quam ſimillima ſunt Principum rerumq́ue publicarum ratiocinia, quæ huc uſque uſurpata fuerunt in Dominiis, ærarii præfecturis, tributis, veſtigalibus, aliiſque publicis oneribus putandis, Rationarios Quæſtorum, Tribunorumque ærarii codices intelligo, quos illi Rationes appellant, è quibus nulla ad Principem notitia pervenit, quid quiſq; publicanorum, redemptorum, coactorum aliorumque mancipum conduxerit, &

rit, & quantum quiſque pro eo Principi aut reipublicæ debeat, nec multò plus inde ſit certior, cujuſmodi bona penes officiarios ſint præter illa, quæ Principis nomine & accepit, & expendit inque alios diſpenſavit, ut ex ejuſmodi adminiſtratione eventus diſſoluto & incurioſo Mercatori ſimillimus exſpectandus ſit. Propterea, quia Italorum Apologiſtica tam Principi quam Mercatori omnem fraudem, injuſtitiamque detegit, abſurdum & inconſequens eſt dicere, magis aulæ adminiſtrationem, quam Mercatoris negotiationem in fide, integritate, & juſtitia rationariorum conſiſtere, iiſque defectis Apologiſticam perire & concidere. Quemadmodum enim apud Mercatores propterea in uſu eſſe non deſiit: ita neque apud Principes, reſque publicas, ubi vis ejus clarè perſpecta fuerit, in uſu eſſe, deſinere non poteſt. Inſuper & hoc additor. Si quis Magnario autor & ſuaſor eſſe vellet ne Apologiſta uteretur, quod illius integritate defecta, cum ea ſimul etiam Apologiſtica deficiat, nónne rei inexpertum, imò reſponſione indignum exiſtimaretis: utpote qui de re ſibi planè incognitâ verba faceret. Non diſſimile veſtrum judicium fore arbitror, ſi quis hoc argumento uſus apud Principes Reſque publicas Apologiſticam cavillaretur.

OCCA-

Digitized by Google

OCCASIO SCRIPTIONIS.

CVM aliquando matutinâ horâ ad ILLVSTRISSIMVM PRINCIPEM me contuliſſem, verba, quibus me primo congreſſu compellavit, ejuſmodi fuerunt. Obſcuram, & verbis inutilitet redundantem rationem pridie ſibi redditam fuiſſe. Verum ne dum hæc refero inquam & inquit ſæpius interponantur, nos ipſos, quemadmodum ſermo habitus fuit, quaſi loquentes διαλογιστικῶς induxi, brevitatisq; cauſa ILLVSTRISSIMVM PRINCIPEM MAVRITIVM literis I.P.M. me *Stevinum* verò S T. tanquam ſymbolis notatum volo.

DIALOGISMVS.

I. P. M. Heſternâ die, ut antehac aliâs, Rationes ad me relatæ fuerunt, in quibus obſcurum purandi modum deprehendi. Verumenimverò quia mos iſte apud omnes invaluit, ſuas habere cauſas non ſum neſcius. De illo conferre tecum conſtitui. S T. Aſt iſtæ rationes ad mercatorumné, an verò Quæſtorum, ærariiq; Præfectorũ morem erant putatæ? I. P. M. Diſparné illis putandi ratio eſt? S T. Maximè. ſunt enim quam diſſimillimæ. Mercator de accepto & expenſo, & rationibus breviariis agit, fingit Piper, Zingiber, fortem. capſam debitores, & creditores: nõ aliter quàm ſi homines eſſent, quæ ab ærarii Tribunis & Quæſtoribus prætereuntur, & negliguntur. I. P. M. Sed utra præſtat alteri. S T. Sua cuique placet, cui aſſuevit. I. P. M. Nihilominus tamen altera alteram antecedere judicari poteſt, utras præfers? S T. Mercatoris. I. P. M. Cur. S T. Mercator nunquam neſcit, quantum pecuniæ arcarius habeat in arca, aut habere debeat: quod Princeps à Quæſtore nunquam edocetur, qui domini ſui numos longè alia ratione locat & diſpenſat. Deinde ſolertem quandam rerum merciumque ſuarum, quas inſtitoribus committit rationem habet, quæ Principem, omnia negotia Quæſtorum fidei, & Curæ permittentem lõgiſſimè fugit. Deniq; Mercatori rationes claræ & explicatæ quaſi ob oculos perpetuò verſantur, non tantum quæ ſumma à debitoribus creditoribusque, verum etiam mercium ab inſtitoribus ſibi reliqua ſit, quid lucri, quid damni in ſingulis generibus fecerit, quæ omnia compendioſè & ſolerter cognoſcit: quod in difficiliori negotio Principis Quæſtor, putandi ratione ſibi uſurpata, nullo modo imitari & efficere poteſt. I. P. M. Cum tanto præſtãtior ſit Apologiſticâ Mercatorũ, quid cauſæ adferas, cur Quæſtores & Rationum præfecti in Dominiorum & ærarii ratiocinio illius viâ non inſiſtunt & ingrediuntur. S T. Inter præcipuas cauſas has eſſe puto. quod difficilis inventu ſit qui in utroque putandi genere exercitatus ſit & excellat, in eo enim noſmet ut plurimum exercere ſolemus cui à teneris adſuevimus. ideoque quantum diſcriminis in putando hîc ſit, non admodum notum eſt in vulgus. Tum ſi quis forte Apologiſticæ Mercatorum peritus, ad Dominiorum Quæſturam ſe transferat, ab illo non facilè ratiocinii mutationem exſpectes, quia ſuo quæſtui fortaſſe officere & obeſſe noluerit. I. P. M. Nihil Apologiſticæ in lucem prodiit? S T. Et quidem à variis autoribus. Eſt enim ars, etſi barbaro ſeculo in-

venta

Digitized by Google

venta videatur, digniſſima cui inter liberales ſuus locus aſſignetur. Neque ullam præterea in Italia, ubi in lucem, ſaltem in uſum, & in manus hominum veniſſe putatur, æquè utilem & neceſſariam repertam eſſe crediderim. I. P. M. An perdiſcere me poſſe putas, ſi ad diſcendum illam me applicarem? S T. Alias diſciplinas ILLVSTRISSIME PRINCEPS, & difficultatum pleniores perdidiciſti. I. P. M. Quia verò mercaturæ ignarus, & ab ea alienus ſum, & mercatura ſua habet vocabula, aliaque adjuncta ipſi propria, mercatoribus aſſiduâ exercitatione, longoque uſu nota, anne illa inquam, ad ſui notitiam longius tempus, quam expediret, à me exigerent? S T. Hoc incommodi quidem exiſtere poſſe metus mihi eſt, ſi tam in omnia inquirere, & curiosè ſcrutari CELSITVDO tua velit: quã illis opus eſt, qui ex profeſſo in Apologiſtico pulvere exercere ſemet cõſtituerunt. I. P. M. Primum rudi tantum, quod dicitur, Minervâ, quid Apologiſtica ſit, & quid profiteatur deguſtare animus eſt, hinc pro re nata, proque deſiderio quo tangar plus minúſve operæ ſtudiique in ea locabo. S T. Duabus tribúſve hebdomadis non exiguum progreſſum C. T. facere hic poſſe, non diffido. I. P. M. Habéſne in hoc genere aliquid aut ſcripturâ exaratum, aut typis excuſum. S T. Habeo. I. P. M. Igitur Algebrâ ad finem perductâ ad Apologiſticam accingemur, tu interea temporis quod nobis commodo eſſe poſſit colligito. Hujus enim deſiderio teneor.

DIALOGISMI FINIS.

EXactâ Algebrâ ILLVSTRISSIMI PRINCIPIS in Apologiſticæ meditationes regreſſus, ad illam diſcendum ita ſe appulit, ut cognitione illius non leviter finctus animum ſatiaverit. Ego igitur illam in compendium contractam inter Mathematicas illius diſciplinas interſero, cui abſolutæ quomodo ad Principis Apologiſticam in Dominiis occupatam delapſi ſimus ſubnectam, ejusque exemplar dabo.

APOLO-

APOLOGISTICA
MERCATORVM
ITALICO RATIOCINIO
EXPRESSA.

Digitized by Google

BREVIARIVM APOLOGISTICAE MERCATORVM.

IN Apologiſticâ trium ſingulariorum librorum uſus eſt. Primus ἐφήμερις *ſive Diarius eſt ſecundus accepti & expenſi Codex vel tabulæ, tertius adverſariorum; huc & Arcarius & Impenſarum libri accellunt.* ἐφήμερις *librum diarium denotat, qui diurnarum actionum commentarius eſt certâ regulâ modoq; deſcriptarum. Codex accepti & expenſi eſt in quem nomina è diario referuntur, & credita continuo ordine transſcripta ob oculos ponuntur. Adverſaria dico librum in quem tumultuariâ operâ, quæ neque Diarii, neque Codicis accepti & expenſi ſunt, memoriæ cauſa conjiciuntur. Sed argumentum decem capitibus diſtinctum ſic eſt.*

I. *Modus creditum & debitum in Diario diſponendi.*

II. *Quo modo ex Diario in accepti expenſique Codicem referenda transſcribendaque ſint.*

III. *Exemplar librorum Diarii, item accepti expenſique, convenienti methodo digeſtorum.*

* Caſſbock. IIII. *Proprietates Adverſariorum, librorumque* Arcarii, & Impenſarum interpretatur.*

V. *Dialogiſmum habet Apologiſticarum quæſtionum.*

VI. *Apologiſtica methodus & rationarius ordo Inſtitorum.*

VII. *Apologiſtica methodus, & rationarius ordo Societatis.*

VIII. *Rationum ſocietatis confectio.*

IX. *Lucri damnique contentio ſortiumque comparatio.*

X. *Libri concluſio, novique operis incæptio.*

I CAPVT.

MODVS CREDITVM
& debitum in Diario diſponendi.

VT credita debitaque, quę in negotiationibus contrahuntur ritè in Diario ſcribantur, in primis renendum illud eſt, cuique ſuum expenſum eſſe, unde ſit initium, illudque inter præcipua Apologiſticæ capita ſcitu perneceſſarium eſſe, quapropter exemplo pro regula hanc rem illuſtrabimus.

Petrus pecuniæ ſummam debeat, in cujus imminutionem 100 ℒ. ſolverit, quibus in arca repoſitis, Arca debitrix quaſi ſit. Arcam ideo illam pecuniam debere, Petrum autem credidiſſe fingo, illis enim debiti ſummam minuit. In Diario igitur initio nominis ſcribo.

* *Caſſa debet* per *Petrum.*

Quò ſi neceſſariæ circumſtantiæ addantur, ut ſumma, cauſaque ſolutionis, inſcriptio ſic erit:

Caſſa debet per *Petrum* 100 ℒ.*, quas in debiti imminutionem dedit, cuius ſolutioni* 1 *Martii præſinitus erat* - - - - 100 ℒ.

Hujus generis nomen eſt in Diario .o Iunii.

Sin ego ipſe Petro pecuniam reddidi in majoris crediti imminutionem, ſic erit.

* debet per, credit per. Caſſa, tanquam technica vocabula, formula apologiſtis ſpio u,u frequentata hic, & ubique deinceps retinuimus.

Petrus debet per *caſſam.*

Si piper emi à Petro in diem. ita erit:

Piper debet per *Petrum.*

Hujus generis nomen eſt in Diario 28 Martii.

Sin vendidi *Petro* piper in diem. ita eſt:

Petrus debet per *piper.*

Si apud me Petrus in fœnore poſuit pecuniam, duæ jam creditæ pecuniæ debitrices fiunt *Caſſa*, lucrique & damni ratiocinatio, propter fœnus. Sic itaque erit:

Diverſa nomina debet per *Petrum.*

Cujus generis exemplum eſt in Diario 21 Auguſti.

Sin ego apud *Petrum* pecuniam in fœnore locavi. ita pono:

Petrus debet per *diverſa nomina.*

Si Petro varias merces, ut Piper, Zingiber, Caryophylla in diem vendidi. ita ſcribo:

Petrus debet per *diverſa nomina.*

Vide in Diario exemplum 30 Maji.

Sin vendidit mihi varias merces Petrus, ut Piper, Zingiber, Caryophylla, in diem. ita erit:

Varia nomina debet per *Petrum.*

Si Petrus mihi deberet, ego Ioanni, cui Petrus pecuniam à me repræſentavit. ſic ſcribo:

Ioannes debet per *Petrum.*

Hujus generis nomen eſt 12 Maji.

Si Petrus mihi præſenti pecunia piper vendidit. ita erit:

Piper debet per *caſſam.*

NOTA. Quamvis Petrus ſit piperis venditor, non tamen illius tanquam Debitoris aut Creditoris mentionem hic fieri. Poſſet in ampliore circumſtantiarum declaratione collocari, quæ verba ſupra ſcripta ſequuntur, quemadmodum in Diario factum vides nomine 30 Aprilis, ſed abſolutè neceſſarium non eſt, multæ enim emptiones fiunt, in magnis præſertim mercatibus ut Francofurtenſibus aliiſque, ubi negociantium perſonarum nulla mutua notitia eſt, & venditor pecuniam pro merce, & emptor viciſſim mercem pro pecunia accipit, & utrumque alterius nomen ignorare non magni intereſt. Evenit tamen aliquando miniſtros, aut etiam ſocietatis alicujus conſortes amplioris declarationis causâ, nomina ſcribere eorum cum quibus contraxerunt & nogociati ſunt, ut ſi qui accuratius in rem inquirere volunt, bona fide actum eſſe intelligant, ſecus opus nô eſt. Quicquid hic de rebus præſente pecunia emptis dictum eſt, etiam de rebus præſente pecunia venditis, mercium inter ſe commutatione, & donatione, omnibuſque omnino rebus ubi perſonarum altera, nec credidit nec debet intelligendum eſt, cujuſmodi quatuor diverſa exempla ſubjeci.

Si vendo Quinctio piper præſenti pecunia, ita ſcribo:

Arca debet per *piper.*

Si cum Quinctio contrahens, piper meum cum illius zingebere commuto, ſic pono:

Zingiber debet per *piper.*

Hujuſmodi exemplum eſt in Diario 4 Auguſt.

Si Quinctius aliquam pecuniæ ſummam mihi donaret, aut etiam hæreditatem adirem, ita erit:

Arca debet per *ſortem.*

Hujus exemplum in Diario eſt ad 24 Septembris.

Sin ego Quinctio aliquam pecuniæ ſummam donaſſem, ita eſſet:

Sors debet per *Arcam.*

Si pro impenſis familiæ ſolviſſem, ita ponitur:

Impenſæ domus debent per *Arcam.*

Hic aliquis objecerit, utrique contrahentium parti geminos creditores & debitores eſſe, ideoque moleſtum eſſe, ex illis veros ſeligere. Exempli gratia, Quinctio ſolvēti mihi 100 ℒ, ego illius debitor fio,* arca porro mea: ille meus creditor, arca porro illius. Quæritur ex hiſce quatuor quos duos elegere debeam. Reſpondetur illos eſſe eligendos qui me tangunt, hoc eſt mihi eredidit & debet, ut hîc arca eſt mea debitrix & Quinctius meus creditor. Altera cum qui Quinctium tagunt, hoc eſt debet & credidit (ut ego Quinctio debeo, arca credidit) valde ſecurus, illius Apologiſticæ relinquo. Et illud notatu dignum quod in omnibus contractibus me aut nomen meum neque inter debitores, aut ereditores profitear.

* ſeu ut loquuntur caſſa.

Cum ILLVSTRISSIMO PRINCIPI variis exemplis hæc declaraſſem quomodo contrahentium pars utraque ſuum debitum & creditum haberet, ad mea interrogata ſecundum vulgarem loquendi modum illum reſpondere feci, quo pacto debitum & creditum Apologiſtarum formula notari deberet. Exempli gratia, inquiebam à Quinctio in diem emiſti piper, quomodo illud in Diario notandum? Reſpondit, *Piper debet per Quinctium.* Bene reſponſum

erat.

rat. Et ſimiles quæſtiones ſuperioribus conformes, aliasque quas referre neceſſe non eſt tam diu propoſui, donec veram debiti & crediti intelligentiam conſecutus eſſet. Re huc uſque perductâ, ſubjectum infra diarium in manus ſumpſimus, modúmque diſponendi partes illic deſignatas declarare porro perreximus, nimirum duas primas *Sortis* eſſe debere, illud enim ratio exigit. Dum enim principium ſit libri, ut plurimum debita nonnulla ſunt & credita, ſunt & merces, item pecuniæ, antequam ulla negotiatio eſſe poſſit, cujus partes & nomina in Diarium referri neceſſe ſit. Verum equidem eſt, ſi ſecus eſſet, hoc eſt, ſi nuda fide ſua negotiationem aliquis aggrederetur, abſque debito, credito, merce, pecunia, non opus fore geminam iſtiu modi *Sortis* partem ſcribere. Sed, quia hoc rarum eſt, exemplum ejus, quod quam plurimum evenit, ponere præſtat. Prior eſt, *Diverſa nomina* * debet per *Sortem*. Altera, *Sors* debet per *diverſa nomina*. Hinc negotiationum partes de die in diem ut actæ ſunt ordine ſequuntur. Quomodo autem poſt unumquodque debitum & creditum legitimè collocatum amplior & accuratior circumſtantiarum declaratio cujusque partis ſequatur, diverſa exempla in Diario videre licet.

* [illegible]

Et illud notâ dignum, ſub unoquoque nomine lineam rectam ſubduci, quâ ſtantes rectæ & à ſummo ad imum marginem ductæ ſecantur, ut ſic nomina inter ſe ſuperius ab inferiore diſterminentur, quæ diſtinctio alioquin non tam manifeſta eſſet, inprimis in nominibus, quorum annotationes multum chartæ occupant.

Neque ſilentio prætereundum Apologiſtas quoſdam Belgicos pro voculâ *per* (cujus in capitis hujus initio facta eſt mentio) voculam *an*, & francos *à* uſurpare: ut dicis gratiâ *Pierre debet à poivre* hoc ad verbum fuerit, *Petrus debet ad piper*, quod magis latinè redditur *Petrus debet piperi*. Vbi tamen formula *per* magis probatur, ut ita iſta tractantium conſuetudinem, & Belgici exemplaris phraſin propius ſequamur.

2 CAPVT.

MODVS REFERENDI TRANS-
ſcribendique è Diario in accepti expenſique Codicem.

NEgotiationis nominibus, aliiſque adjunctis, quæ quotidie eveniunt, ita in Diario diſpoſitis, univerſam negotiationem cum circumſtantiis ſuis delineatam quidem habet Mercator, ſed non tam aptè clareq; expreſſam ut ejus ope cum Debitoribus Creditoribusque rationem expeditam inire & conficere poſſit. Vniuſcujuſque enim perſonæ nomina per totum Diarium quaſi diſſeminata, tantâ tamque confusâ partium multitudine extemplò recolligere moleſtum & difficile eſſet, ſi qui ad ineundum rationem paratus ad illum accideret, neque ratiocinationis actio omni ex parte certa & conſtans eſſet, quia nomen aliquod præteriri aliquando poſſet: Eademque de cauſa cognitu difficile eſſet, quid pecuniæ, quid ponderis, menſuræ, numeri in quoque genere mercium eſſe deberet, quid item damni, quid lucri in quoque gerere factum eſſet, quantæ in familiam, quantæ in negotiationes factæ impenſæ, quæ crediti acceptio, quę debiti ſolutio ſingulis trimeſtribus fiant. qui dies cum emptionis, tum venditionis præfiniti ſint ſolutioni, ut ſecundum illos numariæ teſſeræ dirigantur, ne ſolutione unquam periclitemur, & multa ejus generis alia declinentur. Vt iſtis difficultatibus levetur apologiſta, nomina in Diario ſignata in accepti, expenſique Codicem transſcribuntur. ut omnia quæcunque ejuſdem hominis ſunt, uno eodemque loco hic debitum illinc creditum conjungantur: ſimiliterque ut ejuſdem generis res, ut pecunia, merces, impenſæ, & alia quævis ne diſſocientur, & quidem ſolerti ratione, minimâque ſcripturâ. Vt hanc rem exemplo quodam ob oculos ponamus, è Diario transſcribamus acta 20 Martii (cauſa autem, cur non à prima parte Diarii auſpicemur declarationem hujuſmodi relationis in Codicem, infra dicitur) quæ ſunt *Iacobus Somerus debet* per *caryophylla*, quo tanquam ſigno admoneor ſcibendum eſſe, *Iacobum Somerum debere, caryophylla crediδiſſe.* ad quam rem 12 paginam ſumo, titulumque facio: *Iacobus Somerus debet.*

Et infra peculiari verſu:

7 Martii per *caryophylla, ſolutioni 7 Maii præſtitutus eſt* 1600. fol. 5. - 104 ℒ 18 ß 6 ₰.

Quia verò iſta in Codicis 12 pagina ſcripta ſunt, etiam in Diarii primâ ſelide 12 ſcribo, ſubductâ lineolâ, ut ita indicium fiat, iſtud nomen in accepti expenſiq; Codicis paginam 12 relatum eſſe, ſimiliter in Codicis primâ ſelide huc deſtinata 2 ſcribo, quo ſignificatur, hoc nomen in 2 pagina Diarii ſedem ſuam habere, præterea ad verſum primum 5 ſcribo, numerum ſcilicet paginæ, ubi prævideo nomen ejus qui caryophylla credidit ſcriptum iri. Vt vero caryophyllis ſuum creditum adſcribatur, in Codicis pagina 5 titulum hujuſmodi facio, ut vides: *Caryophylla * credit:*

Huic peculiari verſu ſubjicio:

7 Martii per *Iacobum Somerum* fol. 12. 174 ℔ 14 unc. - - - 104 ℒ 18 ß 6 ₰.

* *τὸ credit ἀκλίτως. ut artifices ſolent, uſurpamus.*

Et quia in Codicis pag. 5. ſcriptum eſt, etiam in Diarii prima ſelide 5 ſcribo, ut index ſit, illius creditum ad 5 paginam Codicis relatum eſſe; ſimulque in Codicis primâ ſelide huc deſtinatá 2 ſigno, ut pars in Codicem relata 2 pagina

Darii

Diarii ſedem habere intelligatur. Inſuper ad primum verſum ra noto, numerum ſcilicet paginæ in Codice quo debitor relatus eſt.

Vt formulas & proprietates geminæ hujus in Codicem relationis, alteram Iacobi Someri, alteram caryophyllorum, item quomodo, & cur in his, omnia ad hanc rem requiſita, comprehenſa ſunt demonſtremus; ante omnia, cui bono iſta in Codicem relatio fiat, notandum venit. Quantum ad Iacobum Somerum quidem attinet, cauſa duplex eſt. Prima ut die ſolutioni præfinito debiti admoneatur, qui eam ob cauſam adſcriptus quoque eſt; altera ut in promptu ſit, & ob oculos quaſi verſetur ſumma reliqui, quam aut ego illi, aut ille mihi ſolvere tenetur. quæ eâdem de cauſâ quoque adnotatur. Cum enim, * POSITVM multiplices accepti expenſique partes habet, nihil aliud opus eſt, quam ut partes congeneres addantur, illarum enim differentia eſt reliquum quod quæritur. Iſti igitur fini cum Iacobus Somerus in Codicem transſcriptus eſt, ajo quia in iſto *poſito* caryophyllorum pondus non quæram, (aliud enim *poſitum* caryophyllis deſtinatum eſt) propterea neque pondus, neque alias circumſtantias non neceſſarias; ut neque precium, & hujuſmodi alia hic ſcribi. Si in rationum ſubductione inter me & Somerum lis & diſſenſio de pōdere aut precio exiſteret, ſumpto in manus Diario, non tantum exactè & numeratò pondo: ſed etiam ſingularum * *Balarum* diſtincta precia cum *tar*, *n°*, explicatè reperio. Nihil itaque aliud in accepti expenſique Codicem relatum invenies, quam quod neceſſarium judicatur, id eſt, ut ſupra diximus, quo die creditor à debitore nomẽ exiget, & ut ſumma reliqui nunquã non in parato ſit.

* *Sic tanquã artis vocabulo appellamus illud quod in parallelogrammi area continetur vulgò* poſte.

* *artificibus ita uſitata in apologiſmo vocabula retinuimus.* Bale *enim faſciculos & ſarcinas,* Tar *intertrimentum ſignificat.*

Et caryophyllorum creditum duplici de cauſa in Codicem transſcribitur. Primum ne memoria fugiat, quantum caryophyllorum apud me ſit, ſitné plenus & integer illorum cumulus, quantum de illo deceſſerit, quantoque diminutior factus, vel venditione, vel, ut aliquando evenit, ratiocinii errore, miniſtrorum infidelitate, aut etiam incuria & negligentia. Deinde ut caryophyllorum & lucrum & diſpendium cognoſcantur. Cum iſte tranſcriptionis caryophyllorum finis ſit, diem ſolutioni præfinitum, (cui Someri *poſitum* inſervit) hic quærendum eſſe nego, ideoque neque ſcribendum, ut neque alias non neceſſarias circumſtantias, quale eſt precium & alia hujuſmodi. ſed numerum & ſummam librarum ſive pondo, ut ſic, quod in *poſito* quæritur, reperiatur, id eſt, ut ſupra, ſumma librarum, cum lucro & diſpendio. Hoc diſcrimine *in poſitis* hominum, & mercium animadverſo & obſervato, magnum multumque ſcriptionis non neceſſariæ laborem declinabimus.

Sunt ex Apologiſtis, qui præter circumſtantias alias, pecuniæ ſummam non Arithmeticis numerorum notis, ſed Grammaticis vocabulorum literis & verbis explicatè ſcribunt, mihi autem probari non poteſt, quamvis enim in accepti expenſique Codice, hoc pacto ſcripta ſumma, haud facile adulterari poſſit, tamen cum non tam Codex quam Diarius hujuſmodi Apologiſmi ſedes & fundamentum ſit (perdito enim Codice, è Diario codex novus, non contra è Codice novus Diarius confici poteſt, neque enim menſuræ, pondera aliæque circumſtantiæ tam clarè explicatèque in Codici quam in Diario ſcripta habentur.) Ideoque Grammaticam & explicatiorem illam in Diario ſcriptionem ſufficere arbitror, hinc enim, ſi opus ſit, Codicis falſitas argui poteſt.

Neque illud notâ indignum. Diem conventum & ſolutioni dictum nominatim me apponere, ut, pro ſolvendum eſſe intra bimeſtre, me diem menſis præfinitum, ut paulo ante 7 Maji ſcribere. Ne quoties optatus dies quæritur, toties ratiocinio & calculo opus ſit. Deinde ne quoties ſolutionis dies quæritur, to-

ties novo calculo & ratiocinio opus ſit. Deinde quod in ſextum menſem venditum eſt, ejus ſolutionis dies non ſemper ſexto poſt menſe, quam in Diarium relatum eſt, illucet, cujuſmodi pleraque omnia ſunt quę à parariis venduntur, quæ diebus aliquot aut etiam ſeptimanis poſt, à die venditionis in Diaria ab illorum Dominis transſcribuntur, tempus enim aliquod, dum à parariis ad Dominos nuncius venit, elabitur.

nia debet, meo ſane judicio multò convenientius diceretur. Quemadmodum enim ſi quis per cellam vinariam, vinum, frumentariam, frumentum, quia illic vinum, hic frumentum reconditur ſignificari vellet, non facile approbatum iri arbitror; ſic neque pro pecuniâ * Arca reciperetur niſi uſu jam approbatum, & inter artis vocabula receptum eſſet. ILL. PR. Cur loco Capſæ nomen Capſarii in τῷ debet & τῷ credit uſurpatur, cum Domini ſui, cujus pecuniam accipiendo & expendendo adminiſtrat, debitor & creditor ſit. ST. Quiſquis iſtam inſiſtet viam, Apologiſmi ordinem intricatum & impeditum reddet, hoc enim modo nulla pecuniæ ratiocinario, aut poſitum erit. ILL. PRIN. Nunquid eodem recideret res, ſi Arcarii nomine non minus quam Arcæ pecunia intelligeretur. ST. Si Arcarii qui pecuniam adminiſtrat nomen, adminiſtratæ pecuniȩ imponere liceret; etiam piperis nomen inſtitori cui cura illius commiſſa eſt, & aliarũ mercium ſuis procuratoribus rribuendum eſſe, conſequens eſſet, quod abſurdum eſt. Cur autem uſus facile admiſerit ut capſa pro pecunia eleganter dicatur cauſa eſt, quod etiam vulgò locus pro re locata, & continens pro contento τροπικῶς uſurpetur. Obſcuritatis etiam latebra quædam eſſet ſi hujus nomine pecunia, illius verò non item intelligeretur. ILL. PR. Si Arcarii nomen uſurparetur, nullum pecuniæ ratiocinium in apologiſmo fore inquiſti, atqui quando Arcarii nomine utimur, nullam in apologiſmo arcarii ratiocinationem fore, contra objici poteſt. Cum tamen quomodo rationes illius ſeſe habeant cognoſcere adprimè utile & neceſſarium ſit. ST. Ita profectò res ſeſe habet, alterutro enim illorum poſito, reliquum omitti poteſt, ut ejus tamen memoria ſeparatim notetur. ILL. PR. Arcarii tamen, qui Domini ſui creditor, rationibus, nullum peculiarem librum deſtinari, abſurda res mihi vaſa eſt. nónne verbo uno aut altero, qua culpa id eveniat, breviter declarari poſſet. ST. Hoc pacto declarati id poſſe, ego quidem arbitror. ST. Si Domini nomine Arcario mille floreni numerati eſſent, Dominus autem propterea ſic ratiocinaretur. Mille floreni, arca mea ſervati, mei ſunt, tantundem inſuper Arcarius mihi debet, meo enim nomine illos accepit. & hujuſmodi ratiocinationi convenienter ſcriberet capſam mille florenorum debitricem, & totidem florenorum Capſarium Debitorem, manifeſtiſſimus error commiſſus eſſet, forsque mille florenorum, quam re vera ſit, major ſcriberetur. Hinc facile eſt colligere arca debitrice Arcarium debitorem ſcribi non poſſe, etſi prioris conſiderationis reſpectu Debitor eſſe deberet. Quoſdam Arcarios ad librum ſed paulo diſſimiliori conſideratione admitti poſſe notandum venit quæ ejuſmodi eſt. ut ſi plures * ſubarcarii ſint qui ad unum aliquem tanquam Arcæ Tribunum collectas pecunias referunt, (ut in Dominiis & extraordinariis Finantiis fieri videmus) quas non ante in Arca eſſe cenſet Dominus quam iſti Tribuno adnumeratæ ſunt, tunc inquã ſubarcarii nomine accepti & expẽſi ad librũ τῶ debet & τῶ credit admitti poſſunt, tamen ſine Tribuni nomine, ſed ejus loco Arca ſcribitur. Et ſic nihilo minus omnia, eò quò jam diximus, hoc eſt, Arcarii nomen in librum non admitti, recidunt. ILL. PRINC. Si quem Mercator munere aliquo donaret, puta ſi filiam elocans aliquot florenorum millia in dotem daret, quonam modo illud in Diarium referetur. ST. Caput ſive ſors debet per Arcam. ILL. PRINC. Si puero ad emendum nuces ſtuferum daret quo in loco iſtud diſponeres. ST. Ad familiæ impenſas apponerem ſcribendo. Impenſæ familiæ debent per arcam. ILL. PRINC. Quandoquidem & hoc & illud dona ſunt, magnitudine tantum & quantitare differentia, quale prȩceptum de loco, in quem mediocris aliqua ſumma cõjicienda eſt hic

* Caſſa.

* Subarcarii ut & ſubcapſarii dico, ut Plaut. Subballionem & Cic. Submarum dixit.

præſcribis. ST. Quæ reſpondi, pinguiori Minervâ, & juxta vulgarem cõſuetudinem dicta ſunto, quantum verò nunc intelligo, alia tua ILLVSTRISSIMI PRINCIPIS mens fuit, planior igitur pauloque fuſior declaratio opus fuerit. Quia impenſæ quævis ſortem minuunt, & de ſorte per illas aliquid decedit, etiam ſors appellari poſſunt, nimirum ſumma vel ſors *debet*, ideoque in accept. & expenſ. Codice, ad *poſitum* ſumma *debet*, cum aliis partibus referri poteſt. Verum Mercator, quantum quotannis in alenda familia inſumit, ſcire cupidus de ſortis imminutione, quam familiæ impendit peculiare ratiocinium init, referendo omnium ſummam quotannis, quando rationes putat, ad ſummam τὸ *debet*. Hinc manifeſtum eſſe puto, Mercatorem, qui aliquot florenorum milia, in dotem dat filiæ, quam elocat, non in familiæ ſumptibus, ſed in illorum genere quæ rarenter contingunt, quæque ſortis imminutio ſint, numerare, ideoque cum aliis partibus ad τὸ ſors *debet*, apponere. Neque obſcurum eſſe poteſt ſtuferum illum puero donatum, inter familiæ impenſas numerandum, quod hujuſmodi in re familiari ſæpe eveniunt: Si cui verò alia ſit ſententia, illaque aliquot florenorum milia inter familiæ impenſas numeret, etiam illi hoc pacto in Codicem referre liceat, neque propterea (quia & hoc & illud ſortem ſive ſummam ſignat, tandemque eò reducitur) in re ipſa diſcrimen, aut diverſitas ulla fuerit, ut nulla Apologiſticæ incertitudo aut inconſtantia hîc ſit, quemadmodum TVA CELSITVDO objicere videbatur. A Mercatore enim cujus generis expenſas pecunias eſſe velit, cõcluſo, unâ & notâ poſitione tantummodo opus erit: ut fuſius paulò de hoc agamus alia exempla ſunto. Hic adamantem vel tabulam pictam emit, & pro ſupellectili habet, ideo ad familię impenſas, vel ſortis imminutionem refert: ille verò emit ut vendat, & lucrum inde faciat, ideoque ut alias emptas merces in Diarium refert, eisque ſuum τὸ *debet* & τὸ *credit* attribuit. Neq; illa quæſtio ſive dubitatio in ſortem tantum, ſed etiam in alia partium genera cadit, ut puta, Si Petrus mihi, ego Ioanni ſim debitor, Petrus vero à me Ioanni ſatisfacturus ſit, ita pono: *Ioannes debet per Petrum*; ſed poſito, mihi pecuniam à Petro, à me porro Ioanni adnumeratam eſſe, quia meos libros Ioannis & Petri libris reſpondere volo, quos aſſignationi vel verſuræ hujuſmodi non eſſe contentos animadverto, duas partes faciam, alte-
* Caſſa. ram * *Arca* debet *per Petrum*, alteram *Ioannes* debet *per Arcam*, & in idem recident. Si merces cum aliquo commutaſſem, ut *Piper* pro *Zingibere*. ſcribo, *Zingiber* debet *per Piper*. Sin ego ab aliquo Zingiber, ille viciſſim à me Piper, & uterque præſenti pecunia emiſſemus, & quidem tanto precio, quantum pacti ſumus commutando, duæ partes fient prior, *Zingiber* debet *per Arcam*, poſterior, *Arca* debet *per Piper*, & amborum notatio eadem erit. ideoque hujuſmodi poſitione artem ſecutâ Apologiſticæ regulæ certæ firmæque eſſe deprehendentur. ILL. PRIN. Impenſas ſummam ſortemque notare dixiſti, id probare nõ poſſum, cum & Mercatoris pecunia, merx, debitores, & creditores, ſumma & ſors ſint, ex quibus tanquam partibus ſortem compoſitam eſſe ex Diarii initio liquet. ST. De augeſcente decreſcenteque ſorte, id eſt donatis muneribus, lucris, damnis & hiſce ſimilibus jam ante diximus. ILL. PRIN. Aſt & pecunia, divitiæ, & debitores ſortem augent, quanto enim hujus generis plures habet, tanto & ſortem habet auctiorem, ut per Creditores minutiorem. ST. Longe alia mihi hic ſententia eſt, cujus declarandæ cauſa paradigma hujuſmodi eſto. A Petro in diem emptus piperis culleus, ſortem mihi non auget, tantum enim de ſorte mea decedit, quantum à pipere accedit, Piperis enim pretium adhuc Petro debetur. Neque quia Petrus mihi ſit Creditor, ſors mea mi-

nuitur

Digitized by Google

nuitur tantundem enim empto pipere augetur: Sin piperis pondere aliquo donato *Piper per ſortem debet* ſcribo, & ſors aucta intelligitur. ILL. PR. Etiam alia nobis quæſtio eſt: *Poſita* in acceptorum expenſarumque Codice cum τῷ debet & τῷ credit relata ſunto, utrum illorum emolumenti utrum detrimenti mihi indicium facit. ST. Τὸ debet emolumenti index eſt, quod enim Petrus mihi debet hoc ipſum ſortem meam auget, ut & multum piperis in ἀποθήκῃ, multum numorum in arcâ: aſt τὸ credit contrarii detrimenti, index eſt. ILL. PRINC. Nulla* anomalia ſeu diſſimilitudo poteſt dari. ST. Nulla equidē in præſens occurrit. ILL. PRINC. Et tamen neq; ſors *debet* damnū, neq; ſors *credit* lucrū meum, ſed contra denotare videtur. ST. Illud profectò memoriam meam fugiebat, veriſſimè ILLVSTRISS. PRINCEPS locutus es in ſolam ſortem diſſimilitudo illa, & prçterea in nullā rem aliam, ut arbitror, cadit. ILL. PRIN. Attamen Impenſæ *debent*, item lucri damnique ratiocinium *debet*, etiam damni notæ ſunt. ST. Hæc & ſortis eſſe jam diximus, & cauſas illius adduximus, ideoque nulla niſi in ſortem diſſimilitudo cadit. ILL. PRINC. Τὸ deber *poſiti* caryophyllorum in Codice 75 ℒ 4 ß 7 ₰ ſuperatur à τῷ credit quod lucrum eſt, caryophylla enim pluris vendita ſunt. ST. Reſponderi poteſt, ſi *poſiti* ratione putata (quod quovis anni tempore facere quidem licet, ut plurimum tamen in anni exitum differtur) lucrum 75 ℒ 4 ß 7 ₰ ſub τῷ deber, & in lucri damnique ratiocinio ſub τῷ credit locaretur, ita ut caryophyllorum *poſito* ſua abſolutio perfectioque eſſet τὸ debet æquarum iri τῷ credit, & propoſitam de emolumento quæſtionem ſub τὸ credit non cadere. ILL. PRINC. Nihilominus tamen illud fixum immotumque manet, non tam liquidò de caryophyllorum aliarumque mercium, unde lucrum damnumque exiſtunt, *poſito* judicari poſſe, ſitné τὸ debet emolumenti, τὸ credit verò detrimenti argumentum quam idem ill: d in aliis rebus liquere poteſt. ST. Ita ſe res habet, eſtque hic aliqua diſſimilitudo. Cujuſvis *poſiti* tamen ſortis aut ſortem denotantis iſta affectio propria videtur, ut τὸ debet detrimenti, τὸ credit emolumenri ſit. ILL. PRINC. Cur ſortis *poſito* hoc magis, quam aliarum partium *poſitis* proprium eſt. ST. Quia ſors debet tantundem valet, quantum ſi Dominus diceret, ego N ſum *debet*. quò enim quis pluribus obſtrictus debitor eſt eò plus detrimenti, quò plurium verò creditor eſt, eò plus emolumenti capit. Contrariorum enim contraria conſequentia ſunt. ILL. PRINC. Quandoquidem Mercatotis nomen & ſors ſynonyma ſunt, cur loco ſortis Mercaroris nomen non uſurpatur, hinc obſcuritas tanta non exiſteret. ST. Multi Mercatores ſæpiſſimè ſocietatem, quorū omnium una eſt ſors, ineunt, ideoque etiam nomen commune opus eſt, cui ſortis vocabulum apprimè cōgruit, nam ſine longo verborum circuitu enunciatur. Deinde opes bonaque, quæ in aliquo propoſito negotio quis occupat, magni momenti res eſt, ut cōmune aliquod & præ cæteris excellens nomen in omni Apologiſmo requiratur. quod non Mercatoris alicujus nomen, inter alia plura Mercarorum nomina, ſed ſortis vocabulū appoſitiſſime eſſe poteſt. ILL. PR. Iam ante tanquam commune aliquod theorema dediſti, Mercarorem ſe nunquam τὸ debet vel τὸ credit ponere, cum tamen ſors & Mercatoris nomen ſynonyma ſint, unde conſequens eſt, quoties ſortis τὸ debet aut τὸ credir Mercaror facit, toties ipſum ſe ponere. ST. Addebam aurem etiam illud, *in omnibus contractionum partibus*, ad quæ verba attendendum eſt. Dominus in nullis contractis partibus ſeſe τὸ debet aut τὸ credit ponit, ſi vero faciat nullæ ſunt partes in quibus cum quoquam contrahit. Vt ſi pipere donato ſcribit, *Piper debet per ſortem*,

* Exceptio.

nemo enim qui eum contrahit. ILL. PRINC. Nónne plures in Apologiſmo diverſitates, quam huc adductæ ſunt, occurrunt. ST. Non omnes Apologiſtæ idem de optimo ordinis genere, in Inſtitorum & Societatis ratiocinio ſentiunt. ideo nos peculiarem tractatum de eo ſeparatim conſcripſimus. non enim cum Diario, & acceptorum expenſorumq́ue Codice commiſceri debere judicamus.

DIALOGISMI FINIS.

6 CAPVT.

APOLOGISTICA METHODVS, *& rationarius ordo Inſtitorum.*

QVando Mercator Inſtitori merces vel pecunias mittit, facit iter τὸ debet, merces verò (ita enim uſu communiter receptum eſt) τὸ credit. Inſtitor autem mercibus venditis ſe τὸ debet, iter verò τὸ credit fingit. ut Mercator aliquis exempli gratia inſtitori ſuo Petro Nicolai 100 piperis culleos Dantiſcum mittens, ſcribit: Iter Dantiſcum debet per piper. Cauſa autem, cur Inſtitorem ipſum non ſcribat τὸ debet, eſt, quod mercibus adhuc in itinere fortunæ caſibus obnoxiis, revera debitor eſſe non poſſit, ſed iter. Sed pipere divendito ita ponit Inſtitor: *Petrus Nicolai Dantiſci inſtitor debet per iter.* Quibus partibus è Diario in Acceptorum expenſorumq́ue Codicem relatis, & piperis *poſitum* τὸ credit ſibi conveniens habet, & Itineris *poſitum* antea τῷ debet gravatum, debitione levatur, & inſtitor ſuo in *poſito* debitor ſcribitur, omniaq́ue, ut videtur, convenientiſſimè diſpoſita ſunt. Atqui quamvis iſta ratio vulgò receptiſſima, mihi tamen minimè probatur, & quidem hac de cauſa. Ponamus, Mercatorem 100 piperis culleos emiſſe, pipereq́ue in titulo τῷ debet ſcripto, ad Inſtitorem ſuum, ut ante diximus, Dantiſcum mittere, ut iter debitor, piper creditor quaſi ſit: ſequetur, τὸ debet, & τὸ credit in piperis *poſito* æqualia fore, quod Mercatorem nihil piperis jam habere, indiciū eſt, & tamen 100 cullei piperis quæ in itinere vectantur, aut apud inſtitorem habentur ſunt ipſius eò uſque temporis dum divēdita fuerint, aut alio modo illius eſſe deſierint. Atqui, merces hujuſmodi integros annos in occulto latere antequam divendantur, aut etiam partem vendi, partem non item, non rarò evenit, unde error hujuſmodi Apologiſmi manifeſtus eſt. Quod autem objiciunt adjumento *poſiti* Inſtitoris in exactam notitiam Mercatorem venire poſſe quantum piperis ab Inſtitore venditum ſit, quantum apud illum adhuc reliquum ſit: reſpondetur, mancâ illâ & imperfectâ ratiocinatione, in exiguis negotiationibus expediri id poſſe, at in magnis autem & copioſis, ubi ſcilicet plures Inſtitores pluresq́; quibus variarum mercium cura commiſſa eſt, quas & inter ſe tranſmittunt, & aliis etiam divendunt ac diſtrahunt non item, cum enim in acceptorum expenſorumq́ue Codice *poſita* iſti fini ſcribantur, ut differentiæ τῷ debet & τῷ credit adjumento, quantum deſit cognoſcatur, quæſitū non ſine difficili, & inexplicabili ambiguitate, nullâq́ue ſolidâ poſitione ſubnixū invenitur. Sed enim quomodo iſta, ſolidiore, mea quidem ſententia, fundamento exſtrui poſſunt dicam, ſi iſtud præmiſero, in priore Diario ſcilicet, & Codice nullum planè mercium τὸ debet aut τὸ credit prius ſcribendum quam importatæ ſunt & exportatæ, id eſt à par-

à partium proprietatis principio ad finem uſque. Nam cætera τὸ debet & τὸ credit intermedia, quando ad Inſtitores merces mittuntur, alius ſunt generis, neque cum priori genere commiſceri poſſunt. Quiſquis piper emit, ut res exemplo evadat illuſtrior, à primâ importatione facit τὸ debet; Quiſquis vendidit ſi in diem vendidit, τὸ credit: ſin ille emptum piper vendat à noviſſima exportatione τὸ credit, emptor verò, ſi in diem eſt, τὸ debet facit. Inter duo illa extrema tempora piper nautæ committi poteſt qui porrò ad Inſtitorem vectaret, inſtitor denique venderet. Hic quamvis & Nauta & Inſtitor debitores ſint, piperisque à ſe accepti rationem reddere teneantur, hujuſmodi tamen debitum, vel partium tranſlatio, ad alias partes in Diario, vel accepti expenſique Codice ob jam dictas cauſas aggregari non debet. Huc accedit. Quemadmodum quæ domi meæ à miniſtris geruntur meis, meum negotium eſſe & à me factũ duco, neque illos debitores aut creditores in toties jam dictis libris ſcribo: ſic quicquid Inſtitores foris agunt meum ſimiliter & à me fieri judicãdum eſt, ut illos neque Debitores neque Creditores appellem. Porro mercimoniorum ad inſtitorem miſſiones negotiationem eſſe negari poteſt, cum tantum locorum mutationes, & hinc aliò tranſvectiones ſint, quamvis longiores, quam ex officina in cellam vel apothecam, nihilominus tamen hoc pacto conſideratę quam ſimillimi generis ſunt, nam & cum mutatur, & cum mutatus eſt locus mea manent mercimonia.

Hoc præmiſſo & explicato, ad rem tandem aggrediamur, Dico de quarumvis mercium miſſionibus, quæ intra primam importationem & noviſſimam exportationem fiunt, id eſt, proprietatis partium principium & finem, aut aliquid in memoriæ ſubſidium tantum notari debere, aut peculiarem Apologiſmum requiri pro magnitudine negotiorum quę ab Inſtitore adminiſtrantur. Rebus enim, quæ tractantur ritè, conſideratis, in exiguis conventionibus, aliquid in memoriæ ſubſidium, notaſſe tantum, ſufficiet, abſque juſto Apologiſmo qui magnis cõtractibus neceſſarius eſſe facile intelligitur. Vt res ſit paulò explicatior, duo genera Inſtitorum eſſe lector monẽdus mihi eſt, alteri enim locant mercenariam operam, ut quæ in centenarios ſingulos duos aut tres, plus minúſve pro opera capiunt, illosque quorum negotia procurant Magiſtros appellant propriè vulgo Inſtitores dicti: alteri operam honorariam, ut aut gratiam ab amico ineant aut rependant, & quamvis cõſuetudo illos Inſtitores, hoc eſt ut vulgò loquimur factores, appellare non permittit, tamen quia tanquam inſtitorias operas mutuo locant & faciunt, Inſtitores & Factores ut quæ hic ſententia mea ſit planius expromam, appellare mihi liceat in primis cum ab illis non ſecus quam inſtitoribus ratio exigatur. Si horum aliquis culleum piperis ad amicum mittat, ut divendat, preciumque cum nauta remittat, rogans. illud autem negotium, quoniam non amplius quam duarum adit trium horarum itinere inter ſe diſſident, una die conficiatur: hic amicus inſtitoriæ ſuę curæ non modo nullum Apologiſmum, accuratum hic adhibebit, ſed ne literam quidem in memoriæ ſubſidium exarabit opus nihil eſſe exiſtimabit, utpote in alieno negotio, & unde nullus ad ſe quæſtus redundat, & quidem tam brevi tempore confecto. Sin verò debiti ſolutio in octavum vel decimum diem differri debuiſſet, fortaſſe in tabula deletili memoriæ cauſa notaviſſet, poſtea vero pecuniâ acceptâ & ad amicum, cujus merx erat, tranſmiſsâ, deleviſſet. aut ſi illi res majoris momenti viſa fuiſſet ad Codicillos vel pugillares longioris memoriæ cauſa retuliſſet. Si Mercenarius inſtitor, vel Domini ſui miniſter, & magnorum multorumque negotiorum alterius procurator eſſet, qui diverſorum De-

bitorum,

Digitized by Google

bitorum, Creditorum, mercium, quas tradidiſſet, accepiſſet, emiſſet, vendidiſſet rationem reddere tenetur, Apologiſmo omnium ſecundum regulas jam dictas opus erit, equidem tanquam ſua ipſius eſſent negotia, ſui tamen nihil admiſcebit, illud enim ars Apologiſtica Inſtitori non permittit. Quoties præterea ad Dominum ſcribendi occaſio ſeſe offeret, è Diario ſuo & quidem ad Diarii formulam ad verbum omnes partes, quas pro Domino à noviſſimâ epiſtolâ ad illud uſque tempus geſſit & adminiſtravit, perſcribet, quod & ab aliis quibuſdam uſurpari video. Dominus autem acceptas ab inſtitore epiſtolas ordine univerſas componet, ut ſimul junctæ inſtitoris Diarium conficiant. Si inſtitor rudior ſit, & Apologiſticæ indoctior, Dominus partes ad ſe miſſas, ſuo more, ut Apologiſmi formula exigit in peculiarem accepti expenſique Codicem exſcribendas curabit, atque iſto pacto Inſtitoris ſui Apologiſticam penes ſe ſemper habebit, & quomodo res ſuæ, quas ille procurat, ſeſe habeant, nunquam neſcius erit. Ad extremum reſtat, quomodo hinc exſcribi & partes, à principio ad finem uſque proprietatis, in Domini Diarium & Codicem referri, parteſq; quæcunque generis hujus non ſunt, omitti poſſint, ut pecuniæ, merces ab ipſo, vel ipſius nomine ad Inſtitorem miſſæ, aut acceptæ, illud enim nihil aliud eſt, ob cauſas ſupra dictas, quam Domini merces, pecuniam, aliaſq; illius res ex uno loco in alium tranſportare.

Vt res exemplo illuſtrior fiat. Dominus 4000 libras piperis quarum ſingulæ 30 ₰ valent, univerſarum ſumma 500 ℒ 0 ß 0 ₰, ut vendat inſtitori miſerit. Inſtitor pro accepti piperis vectura 10 ℒ 0 ß 0 ₰ ſolverit, ſingulas vero libras 40 ₰ vendiderit, ſumma omnium eſt 666 ℒ 13 ß 4 ₰. unde pro inſtiioria mercede 20 ℒ 0 ß 0 ₰, ſubductis, & reliquum 636 ℒ 13 ß 4 ₰, ad Dominum miſerit. Inſtitor hæc in ſuum Diarium hoc pacto referet. ut ſequitur.

LIBER DIARIVS.

10 *Ianuarii, Piper* debet per *Dominum quia ab ipſo accepi ut venderem* 4000 ℔ *piperis*, 30 ₰ *ſingulas libras, fit* - 500 ℒ 0 ß 0 ₰.

11 *Ianuarii, Dominus* debet per *caſſam, quia pro vectura piperis expendi* - - - - - - 10 ℒ 0 ß 0 ₰.

24 *Ianuarii Caſſa* debet per *piper, quia* 400 ℒ, *ſingule libre* 40 ₰ *paratâ pecuniâ venditæ ſunt, fit* - - - 666 ℒ 13 ß 4 ₰.

Si hiſce tribus partibus vel nominibus in ſequentem Codicem relatis Inſtitor cum Domino rationem putare velit, in Codicem inſpiciens in primi *poſiti* τῷ credit 106 ℒ 13 ß 4 ₰ amplius invenit, quam in τῷ debet, tantum igitur lucrum è pipere eſt. Hinc Inſtitoriæ ſuæ operæ mercedem expendit. Denique quam ſummam reliqui ad Dominum mittere tenetur. quæ tria per prædictum Codicem, ita ſe habere debere comperiuntur, quemadmodum tres partes ſequentes in Diario exhibent.

25 *Ianuarii, Piper* debet per *Dominum ob emolumentum quod ex pipere redundavit* - - - - 666 ℒ 13 ß 4 ₰.

25 *Ianuarii, Dominus* debet per *caſſam, quia pro opera inſtitoria mihi è 666 ℒ 13 ß 4 ₰ ratione 3 ad 100, perſolvit* - 20 ℒ 0 ß 0 ₰.

26 *Ianuarii, Dominus* debet per *caſſam, quia confectâ ratione ad ipſum miſi* - - - - - 636 ℒ 13 ß 4 ₰.

DIARII FINIS.

Tribus iſtis noviſſimis nominibus è Diario in accepti expenſique codicem transſcriptis, facies erit hujuſmodi, ut ſequitur.

ACCEPTI EXPENSIQVE CODEX.

Piper *debet.*		Piper *credit.*	
10 *Ianuarii* Per *Dominum* 4000 ℔ *piperis* - - -	500 ℒ 0. 0.	24 *Ianuarii* Per *caſſam* 4000 ℔ *piperis* - - -	666 ℒ 13 4.
25 *Ianuarii* Per *Magiſtrum pro emolumento* - -	166 ℒ 13. 4.		
Somma	666 ℒ 13. 4.		

Dominus *debet.*		Dominus *debet.*	
11 *Ianuarii* Per *caſſam pro vectura* -	10 ℒ 0. 0.	10 *Ianuarii* Per *piper* - -	500 ℒ 0. 0.
25 *Ianuarii* Per *caſſam pro opera inſtitoria* - - -	20 ℒ 0. 0.	25 *Ianuarii* Per *piper ob emolumentis**	16 ℒ 13. 4.
26 *Ianuarii* Per *caſſam, ratiocinio confecto* - - -	636 ℒ 13. 4.	*Summa*	666 ℒ 13. 4.
Summa	666 ℒ 13. 4.		

Caſſa *debet.*		Caſſa *credit.*	
24 *Ianuarii* Per *piper parata pecunia venditum* - -	666 ℒ 14. 4.	11 *Ianuarii* Per *Dominum pro vectura*	10 ℒ 0. 0.
		25 *Ianuarii* Per *Dominum pro opera inſtitoria* - - -	20 ℒ 0. 0.
		26 *Ianuarii* Per *Dominum, confecto ratiocinio* - - -	636 ℒ 13. 4.
		Summa	666 ℒ 13. 4.

ACCEPTI EXPENSIQVE CODICIS FINIS.

Atque hujuſmodi eſt Inſtitoris Diarius, item acceptorum expenſorumq; Codex, cujuſmodi etiam penes Dominum ſint oportet, quemadmodum paulo ante deſcripſimus; hinc enim duo cognoſcit, primum, quomodo res ſua ab Inſtitore agitur ſeſeque habeat. Hinc quę partes ab initio ad finem uſq; proprietatis, ex Inſtitoris libris colligendæ exſcribendæque in ſuos. Ad primum quod attinet, ex Piperis poſito Inſtitorem tantundem vendidiſſe cognoſcit quantum accepit. inſuper quid lucri ſit ſupra ſortem, ſcilicet 166 ℒ 13 ß 4 ₰.

In Do-

In Domini autem *poſito*, quæ ſua ipſius ſunt, ob oculos verſantur. In poſtremo quis Arcæ ſtatus & conditio ſit. In ſumma ſibi à ſuo Inſtitore plenè ſatis factum eſſe clarè edocetur. Ad ſecundum quod attinet, quæ ſcilicet partes à proprietatis initio ad finem uſque ex Inſtitoris libris extrahendæ ſint, & in ſuos libros transſcribi debent. Primam partem Diarii à 10 Ianuarii in ſuum Diarium ſcribi non debere intelligit, quia nec initium proprietatis nec finis illic ſit, ſed tantummodo bonorum è loco, in locum tranſportatio. quod transſcriptio illiuſmodi partiŭ errorem Apologiſmi pareret jam ante probavimus, nimirum, piperis *poſito*. indicium factum iri 4000 piperis pondo minus eſſe ſub curâ & adminiſtratione eſſe quam reipſa ſint. Altera pars 11 Ianuarii in librum traducenda eſt, 10 £ enim pro vectura ab Inſtitore dati, hîc enim Dominus proprietarius eſſe deſinit. Et pars tertia 24 Ianuarii etiam in Diarium recipietur, quia 4000 £ divenditarum proprietas finitur, & precium, ſive pecunia pro pipere ab Inſtitore Domini nomine accepta, proprietatis principium capiebat. hîc enim Dominus proprietarius eſſe cœpit. & licet illa ſub clavibus externi Arcarii tenetur tamen nō minus, quam ſi ſub domeſtici arcarii clavibus eſſet, ſuam, & explicatam, & ad manum poſitam pecuniam Dominus dicere poteſt. Nec minus enim foris illa pecunia in promptu eſt, ad debita Domini diſſolvendum ubi externus Inſtitor habitat, quam domi apud Domeſticum ad ſatisfaciendŭ creditoribus ubi Dominus ſuas ſedes habet. Quarta autem pars ne ingreditor. Quinta, Inſtitoris nimirum merces, admittitor, ob cauſas ad ſecundam partem 11 Ianuarii dictas. Sexta quartæ ſimiliter excluditor, quia pecunia ad Dominŭ miſſa, locum ſolummodo, ſine principio & fine proprietatis, mutabat, atque ſi in Codicem forte tranſlata eſſet, arcę pecuniam 636 £ 13 ß 4 ₰ verâ ſummâ majorem videti facerct.

Partibus ita tralatis, non pluš erroris ex admiſtione negotiorum externi inſtitoris, quam ex negotiiš domeſticorŭ miniſtrorum in Mercatoris libris committetur, & ſimul inſtitoriæ illius puram clareque putatam rationem habebit.

Neque illud volens prætermittam. Inſtitori diligenter cavendŭ eſſe ne quid de ſuis ipſius rebus Inſtitorio apologiſmo, viciſſim cōtra de inſtitoriis, ne quid ſuis rebus & negotiis admiſceatur, excepto, ſi quid de principio & fine proprietatis eo ſpectet: ut in Diario præmiſſo, una ſolummodo pars eſt quæ ad illius apologiſmum referri debet, ſcilicet 20 £ pro cura inſtitoria.

Si quis dictam partem miſſionis ſcilicet & venditionis 4000 pondo piperis apologiſmi formâ non egere, ſed in memoriæ ſubſidium, tantummodo aliquid breviter notaſſe ſufficere, putet; illi reſponſum volumus, brevi exemplo communem apologiſmi formam exhibere nobis viſum fuiſſe, ut lector, quam in magnis negotiationibus ſequi poſſet, ſpeciem haberet.

Hoc generale præceptum in negotiorum Principis, in extraordinariæ Financiæ, & bellicorum apparatuum, & munitionum apologiſmo, & diſpenſatione in primis utile eſt, hinc enim inter primam importationem, exportationemque noviſſimam varii homines in computum veniunt, ut ſuo loco preſſius de ſingulis agetur.

7 CAPVT.

METHODVS APOLOGISTICA,

& ordo rationarius Societatis.

SI tota Societatis negotiatio unius arbitrio ſtaret, is quemlibet ſociorum ad libri ſui τὸ debet & τὸ credit collatæ pecuniæ, aut etiam ablatæ pecuniæ, non ſecus quam alios Debitores & Creditores referre poſſet, & ſic Sociorum univerſorum apologiſtica diverſorum ſingulorumq́ue apologiſticæ diſſimilis non eſſet. Cum vero ſinguli illorum negocientur, alia methodus hîc poſtulatur, & quidem, quam ego probo maximè, talis. Sociorum ſinguli, non aliter quam ſi inſtitores eſſent, negotiationis ſuæ apologiſmum inibunt. hîc ſi unumquemque ſociorum & pro Domino, & ſimul pro inſtitore ſuo habentes, ordinem & viam, quam ſupra de Mercatore inſtitoreq́ue diximus inſiſtant, optatum finem fere contingent. Ferè dico, quod præterea aliquid in ſocietate ſit, quod ſuam exigat declarationem. Ex ſui inſtitoris apologiſmo, cujus penes ſe exemplum, ut diximus, nunquam nō habet, Dominus quantò plus minúsve expenderit quam acceperit ſuus inſtitor cognoſcere poteſt: ita Societatis apologiſta exempli ſocietatis adjumento eadem cognoſcere poteſt, attamen quæ ſumma reliqui ſit, quantoq́ue plus minúsve ſociorum quiſque, quam ipſe habeat, & pro collata ſorte, initæq́ue ſocietatis ratione habere conveniat, adhuc obſcurū illi eſſe poteſt, quæ non ante, quam univerſæ rationes, ab univerſis ejúſdem ſocietatis mercatoribus purè puteq́ue ſint putatæ, & quanta ſit ſumma ſive caput, quantumq́ue lucri, vel damni pro collata ſorte cuique cedat, deteguntur. Rationum autem confectio, cujus ope plurimos ejuſdem ſocietatis Mercatores à litigioſis & intricatis ratiocinationibus feliciter expedivi & conciliavi, hujuſmodi eſt.

8 CAPVT.

RATIONVM SOCIETATIS

confectio.

TRes Mercatores in ſocietatem coïverint, primo nomen eſto A, alteri B, tertio C, qui ſinguli negotientur, accipiant, expendant pecunias & merces, & inter ſe, & cum aliis, qui ſi me de rebus ſuis, & quanto quiſque plus, minúsve, quam æquum eſt, & initæ ſocietatis conditio fert, ſub clavibus habet, conſulant. Tria ante omnia, ab illis poſco. Primum, quantò plus quiſque illorum acceperit, quam expenderit, vel contra expenderit quam acceperit illos interrogo. Deinde, quæ differentia ſit ſummarum Creditorum & Debitorum, unà cum pecunia & mercibus quæ penes ipſos ſunt non divenditæ. Tertio quæ lucri damniq́ue partitio ſit ex initæ ſocietatis conditionibus, hiſce enim cognitis, è veſtigio quantum cuique cedere debeat exactè dixero. ut longis ambagibus, difficili labore cujusq́ue negotiationes, fusè ad Apologiſticæ normam explicare, opus non ſit, quod vulgò non nunquam fieri ſolet. Exemplum eſto hujuſmodi, tria illa, quæ ſcire poſtulavi, nota mihi ſunto:

A plura expendit quam accepit	2000 ℒ
B plura accepit quam expendit	4000 ℒ
C plura expendit quam accepit	3000 ℒ

Secun-

Secundo ſummâ Creditorum, de ſummâ Debitorum deductâ, cum paratâ pecuniâ, & mercibus, reſtabant ſocietati - - 7000 ℒ

Tertio ſociorum ſingulis una tertia lucri damniq́ue cedebat.

Hiſce mihi cognitis, diſpono, ut ſequens exemplar docet.

Societas *debet.*		Societas *credidit.*	
Per *A* - - -	2000 ℒ	Per B - - -	4000 ℒ
Per C - - -	3000 ℒ	Per *debitorum reſtantium pecuniam & merces* - - -	7000 ℒ
	Summa 5000 ℒ		*Summa* 11000 ℒ
Ratione putatâ lucrum ſocietatis eſt -	6000 ℒ		
	Summa 11000 ℒ		

Societati 6000 ℒ lucratâ, cujusq́ue pars quota eſt 2000 ℒ. Inſuper τῷ A ſupra 2000 ℒ, alteræ 2000 ℒ. cedunt ex lucro, ſumma utriuſque eſt - - - - - - - 4000 ℒ

Τῷ C ſupra 3000 ℒ, ex lucro cedunt 2000 ℒ, ſumma utriuſque eſt 5000 ℒ

Summa 9000 ℒ

Summam autem 9000 ℒ, debitoribus, paratâ pecuniâ, & mercibus poſſe diſſolvi, hâc viâ fit manifeſtum:

B 4000 ℒ debebat, unde ſubducto lucri triente, 2000 ℒ nimirum, relinquitur debitio - - - - - - - 2000 ℒ

Quo ſi addas debitores, pecuniam, merces - - - - 7000 ℒ

Summa omnium ad debitionem ſolvendum eſt - 9000 ℒ

Nec cauſa cur Sociorum quiſquam de partitione conqueratur, quiſq; enim illorum ex lucro partem acceperit - - - 2000 ℒ

Vt autem perfecte ratio putetur unumquemque ex ſocietate, ſummæ quam debitâ parte majorem minorémve vel accepiſſe vel expendiſſe dico, acquieſcere & aſſentiri neceſſe eſt: ſecus diverſæ rationes pro ſociorum ſingulis, ineundæ forent, ex hujus enim indicio hujuſmodi, ex illius aliuſmodi ratiocinium eſſet.

CAuſam autem quâ ad hujuſmodi theorema deveni, tandem aperiam, quæ talis eſt. Aliquot ante annos Mercatores aliquot ſocietatem inerunt qui per inſtitores Venetiis, Auguſtæ Vindelicorum, Coloniæ, Antverpiæ, Londini negotiabantur. Cum jam Societatis tempus exiret, aliquis illorũ, qui in ratiocinando apologiſticam formulam ac viam uſquequaque ſecutus non erat, inventus eſt, ideoq; cum ad reddendam negotiationis rationem non admodum à ratione paratus accederet, aliorum arbitrio ſe accommodare coactus fuiſſet. ego verò moleſtiis, ab illo rogatus, in me receptis, totoq́ue negotio in Diario & acceptorum expenſorumq́ue Codice deſcripto, ad apologiſticam formulam ita redegi, ut noſter Epilogiſmus, etiam à negotiationis ſociis approbatus, ei plus, quam in ſociorum computationem venerat, & emolumenti, & lætitię attulerit. Diebus aliquot poſt ad me veniens dixit. Verum quidem eſt, me veſtri τῦ debet, & τῦ credit plane rudem & neſcium eſſe, eòque deductam rem eſſe & lætari, & calculo tuo aſſentiri: tamen & hoc verum eſt, ut ego quidem rem meam meo more, hoc eſt craſsâ Minervâ putavi, trecentos inſuper florenos à ſociis adjiciendos amplius eſſe, quam epilogiſmus tuus concluſit, & cur ſic putem, nunc audi. Vos quidem, pro mea lucri, quod ſocietas fecit, parte, tantam

ſum-

ſummam mihi competere inquitis, ſubductâ igitur ſummâ, quam Societatis nomine expendi, tantâ, de ſummâ, quam accepi, tantâ, pars mea lucri reliqua manebit, aſt hic trecenti floreni deſiderantur, tanto igitur minus æquo adjudicatum eſt mihi. Verumenimvero, tanti, ut dixi, res mihi non eſt, ut illâ rurſus fatigari, & mihimet moleſtus eſſe velim. Hic calculus mihi non fruſtra eſſe primùm videbatur, & ſuis niti rationibus, ideo ad rem illam paulò accuratius me attendere velle reſpondi, Quia verò in magna ſociorum multitudine, qui tantâ accuratione & diligentiâ negotium expendiſſent, incertis & obſcuris veſtigiis rem indagari moleſtum fuiſſet, aliud quippiam in mentem venit. Ideoque ego ſic mecum. Quâ viâ ingreſſus ille ſummam ſibi debitam eruere potuit, eâdem ego inſiſtens omnium reliquorum ſummas invenire poſſum, & propterea rem aggreſſus ſingulorum enim rationes, & ex illis quæcunque neceſſaria requirerentur, penes me habebam, tantoq; plus omnes ſimul ex lucro cepiſſe, quanto hic minus habebat deprehendi. itaque ut partitio æquaretur Catholicam regulam Epilogiſmi modo dictam excogitare coactus ſum. quâ error in trecentis florenis commiſſus etiam aliis negotiationis ſociis manifeſtus & confeſſus fuit. Hic ego ſic mecum. Si antea mihi hoc theorema innotuiſſet magnis moleſtiis ſuperſedere potuiſſem neque ratiocinium ad apologiſmi modulum redigere opus fuiſſet. Sed ſolatium devoratæ moleſtiæ inde fuit, quod in poſterũ theorematis inventio in aliis ſociorum apologiſmis uſui eſſe poſſet, quod experientia edoctus poſtea feci.

Diario, acceptorum expenſorumque Codice, item inſtitorum ratiocinio deſcriptis, ſupereſt ut deinceps de lucri damnique contentione & epilogiſmo dicamus.

9 CAPVT.

LVCRI DAMNIQVE CONtentio, & ſortium comparatio.

MErcatores ut plurimum lucrum damnumq; quod negotiando fecerunt quotannis ſemel, examinare & expendare in more poſitum habẽt, quem Epilogiſmum lucri damnique cõtentionem, ſortiumque comparationem vocare licet, eique fini ab una parte pecunias merçes, & debitores, quales quales eſſe poſſunt, ab altera verò creditores unum quaſi in locum contrahunt, & utriuſque ſummæ differentia pura putaque illorum ſors dicitur, modò debitores ſolvendo ſint. quantaque exacto anno nuda ſors eſt, tantum etiam lucrum damnumque, quod quæritur, eſſe definitur. ut hanc viam in apologiſtica nobis propoſita ſequamur, in acceptorum expenſorumque Codice necdum crediti debitique, neque reliqui ſummas Epilogiſmo cõcluſas, ſcriptas eſſe in animo mecum concipio. hoc ita poſito, partes ante commemoratas, pecunias, merces, debitores unum in locum contraho, ſortis *poſitorum* reliquis, & quæcunque illius accretionem, vel imminutionem ſignificant, omiſſis, cujuſmodi habentur *poſita* negotiationi, item alendæ familiæ impenſa. lucrum quoque & damnum. ſed ſolummodo illas res nudè conſideratas quibus lucri damnique contentio fit & Epilogiſmus concluditur, & quidem certo anni tempore, imo die, qui ut plurimum 31 Decembris eſt, cœptoque examine à primo *poſito* acceptorum expenſorumq; Codicis à Cariophyllis ſcilicet, nulla reſtare, quia di-

vendita ſunt, reperio: illo igitur omiſſo ad ſecundum nucum odoratarum ſive myriſticarum poſitum accedo, quarum 173 ℔ 5 unc. eſſe invenio, quarum ſingulas libras 7 ß taxo, tanto enim precio divenduntur, quanto coëmptæ ſunt, ſumma omnium eſt 60 ℔ 12 ß 2 ₰, quam ſub τῷ debet colloco. Simili via per cætera Mercium, Debitorum, Creditorum, * Arcæ *poſita* progrediendum eſt.

* Caſſa.

EPILOGISMVS DIEDERICI ROSÆ

noviſſimo Decemb. anno 1600 *concluſus.*

Sors aut ſumma *debet*.

Per *Arnold. Iacobi fol.* 14	51. 8. 0.
Reliquum τὸ debet ἐπιλογιστικῶς hic poſitum	3140. 9. 1.
Summa	3191. 17. 1.

* Caſſam.

Sors aut ſumma *credit*.

Per *Cariophylla fol.* 7. 173 ℔ 5 *unc.* 7 ß *libra quælibet*	60. 13. 2.
Per *Piper fol.* 7. 120 ℔ 40 ₰ *libræ ſingulæ*	20. 0. 0.
Per *Omar Nigrinum fol.* 9	513. 12. 0.
Per *Adrian. Winterum fol.* 11	150. 6. 0.
Per *Petr. Albinum fol.* 11	448. 0. 0.
Per *Iacobum Somerum fol.* 13	54. 18. 6.
Per * *Arcam fol.* 19	1944. 7. 5.
Summa	3191. 17. 1.

Atque ſic Debitiones cum præſentariâ pecuniâ ſuperant Credita noviſſimo die Decemb. anno 1600 - - - 3140. 9. 1.

Aſt noviſſimo Decemb. 1599, ſive initio à 1600, quod idem eſt ſors ſive caput fuit 2153 ℔ 3 ß 8 ₰, debito enim 514 ℔ 6 ß, de credito 2667 ℔ 9 ß 8 ₰ deducto, reliquus numerus ut ſupra eſt 2153. 3. 8.

Quo de 3140 ℔ 9 ß 1 ₰ ſubducto reliquis eſt hujus anni lucrum iſto apologiſmo quæſitum - - - - 987. 5. 5.

HVIVSMODI EPILOGISMI

EXAMEN.

QVam firmo hæc ſolidoque fundamento ſubnixa ſtent, quæ diximus examinare ineptum non erit. *Poſita* reliqua augeſcentis decreſcentisq; ſummæ colligo, quæ ſcilicet *poſitorum* reliquiæ ſunt quæ ſuperiori divitiarum æſtimatione prætteribantur, utpote nihil eò attinentes. Quia verò lucri damniq́ue hujus apologiſmi tempore id eſt à 0 Ianuar. 1600 factorum, partes ſunt, quæ ſi Codex aliquando concluderetur (ut 10 capite fiet) ad lucri damniq́ue ratiocinium referri deberent, etiam 987 ℔ 5 ß 5 ₰ emolumentum inde reperiretur. Huic fini acceptorum expenſorumq́ue Codicem à capite ad calcem uſq; percurrere incipio. Primumque cariophyllorum poſitum 5 occurrit, ubi lucrum 75. 4. 7. invenio. indeq́ue in nuces odoratas, aliaſque merces, ut jam infra ſequetur, incido. Reſtantes merces eodem precio, quo ſuperiore æſtimatione, taxari notandum eſt, quia tanti eſſe ſupponimus, ſin vero hujus illiuſve precium mutare velimus, & illud licere.

Lucri

Digitized by Google

Lucri damníque τὸ *debet.*

Per *negotiationis impenſas fol. 16* -	57. 7. 0.
Per *familiæ impenſas fol. 16* - -	107. 10. 0.
Summa	164. 17. 0.
Reſtat, ut emolumentum ſuperiori ratiocinio congruum & reſpondens hoc loco per ſolde - -	987. 7. 5.
Summa	1152. 2. 5.

Lucri damníque τὸ *credit.*

Per *lucrum cariophyllorum fol. 5* -	75. 4. 7.
Per *lucrum nucum odoratarum fol. 7* -	109. 7. 2.
Per *lucrum piperis fol. 7* - -	18. 19. 0.
Per *lucrum Zingiberis fol. 9* - -	41. 8. 4.
Per *lucri damnīq; ratiocinium, cujus po*ſitum *memoria retinēdum hujus epilogiſmi tempore, non amplius quam duas partes in τῷ debet habuiſſe 100 ℒ & 12 ℒ, in τῷ autem credit tres nimirum 4 ℒ 3 ß 4 ₰, & 15 ℒ, cum* 100 ℒ, fol. 19 - - -	907. 3. 4.
Summa	1152. 2. 5.

Emolumento hac via 987 ℒ 5 ß 5 ₰ reperto, ut ſupra in concluſione æſtimatarum divitiarum, iſtud ad operationis examen ſufficere poteſt.

NOTA 1.

Quando Mercator divitiarum ſuarum ſtatum æſtimat, merces bonaque quę penes ſe habet, ponderare, menſurare, numerare ſolet, ſic enim cognoſcere poteſt, quæ mercium cum acceptorum expenſorúmque Codice convenientia ſit, quamvis autem plus minúsve plerunque reperiat, omnia tamen exactè congruere ponimus: & quamvis Codici cum mercibus rariſſima ſit convenientia iſtud tamen pro exemplo hic poſuiſſe ſatis eſt. Quæ enim bona in illorum æſtimatione deſunt, in damno, quæ vero ſuperſunt, in lucro ponuntur, ut nihilo minus tamen apologiſmus integer, & perfectus ſit.

NOTA 2.

Hujuſmodi bonorum æſtimatio quotannis à Mercatoribus in Adverſaria referuntur, nec, ut multorum fert mos, Diario hîc, aut acceptorum expenſorúmque Codice opus eſt, niſi totius Codicis concluſionem conficere velimus, qua de re deinceps nobis dicendum eſt.

10 CAPUT.

LIBRI CONCLVSIO, NOVIQVE *operis incœptio.*

Diario vel acceptorum expenſorumque Codice ſcripturæ pleno ut novus incipiendus ſit, concluſione opus eſt, qui eſt omnium *poſitorum* Codicis epilogiſmus, & reliquorum in novum librum relatio, veteriſque abolitio. quâ opus etiam eſt cum finis negotiationi imponitur, ut cum Mercator vita excedit, vel alioquin mercaturam exercere deſinit. Cōcluſionis autem ratio hæc eſt, ante omnia ſtatus & bonorum æſtimatio cum ejuſdem examine ineunda ſunt, hinc omnes ſtatus partes, quamque ad ſuum Codicis *poſitum*, item τὸ debet & τὸ credit illis conveniens ad Sortis ſive ſummę poſitum referuntur. ut exempli gratia, prima pars τοῦ credit ſtatus eſt 173 ℔ 5 unç. nucum odoratarum. quarum pretium 60 ℒ 13 ß 2 ₰, quæ in accept. expenſique Cod. ſcribo fol. 7. ſub titulo τὸ credit, ut videre eſt, & τὸ debet ejuſdem partis ſub ſumma ſive ſorte fol. 2. ſimiliterque aliàs ſtatus partes tracto.

Si quis vero compendio hic uti vellet, univetſum τὸ debet ſtatus, cujus ſumma eſt 3191 ℒ 17 ß 1 ₰ ad unam partem Sortis τοῦ debet referre poſſet, hoc pacto:

31 Decemb. per diverſas partes, quæ univerſum τὸ debet ſtatus eſt - 3191 ℒ 17 ß 1 ₰.

Hinc ad ſtatus ſive æſtimationis examen progreſſus, ſingulatum partiũ unamquamque ad ſuum Codicis *poſitum* refero, atque τὸ debet, & τὸ credit illis conveniens ad *poſitum* rationis lucri damniq́ue. Exemplum eſto, prima pars τοῦ debet in æſtimationis examine eſt 57 ℒ 7 ß, quam in Codice accept. & expenſ. fol. 17. colloco titulo τὸ credit, ut patet. ejusq́ue partis τὸ debet ſub lucri damnique ratiocinio fol. 18. Similiter deinceps reliquas partes examinis tracto. indeque lucri damniq́ue ratiocinium concludo, concluſioniſque reliquum ad ſummæ τὸ debet, vel τὸ credit, hic verò ad τὸ credit tefertur, quod reliquum illud in lucti damniq́ue ratiocinio in τὸ debet incideret. Ideóque *Summa* τὸ debet & τὸ credit, ſi in Apologiſmo error commiſſus non eſt, æqualia eſſe debent, quo *poſita* cæteráque omnia totius Codicis concluſa ſunt, quod hic poſtulatum erat.

Deinde partes ſupra ſcriptæ & 31 Decembris in ſummam redactæ (quæ nimirum in dicta æſtimatione ſtatus ſunt) in novi Diarii, tanquam inventarii, aut ſortis initio, non ſecus ac in prioris Diarii ptincipio factum erat, collocabuntur, & acta ſingulorum dierum conficiet, & in novo acc. & expenſ. Codice, non aliter quam antea in veteri, ſcribet, ut ptima pars (hoc enim exemplo nobis ſit) Diarii ſic erit:

Anno 1601.

o *Januar. Multiplices partes τοῦ debet in ſummam* 3191 ℒ 17 ß 1 ₰ *contractæ, quam ego Diedericus Roſa, hoc ipſo die, quo æſtimationem & ſummam facultatem mearum feci, in huiuſcemodi pecuniæ, mercium, & debitorum partibus, meam eſſe inveni. In primis:*

Hinc dictæ partes ſubjicerentur, ut in Diario præmiſſo fol. 6. fuit. Et iſta deinceps:

o *Januarii. Summa τοῦ debet Diederici Roſæ per Arnold. Jacobi, cui me eo die, quo ſummam & æſtimationem mearum facultatum feci, debere inveni* - - - - - - - - 51 ℒ 8 ß 0 ₰.

Hiſce partibus ex novo Diario in novum accept. & expenſ. Codicem relatis, & quotidianis actis deinceps ſubjectis, novi libri ſunm & initium & progreſſum antiquis ſive abolitis ſimilem ſumunt.

NOTANDVM.

Quandoquidem initia novotum librorum priorum, & jam antiquatorum initiis ſimilia eſſe, utilitas & ratio poſcete mihi videbantur, ut communis lex ubique & cõmodior eſſet præcedentem æſtimationem, æſtimationis examen, & Epilogiſmi ſive Codicis concluſionem, eò accommodavi, aptavique: apud alios autem ſcriptores alia tatio ac modus, licet in eundem finem nobiſcum conſpirent, in epilogiſmo enim contentionem ſive comparationem, quam in calce veteris Diarii docent, faciunt, cujus partes in novum accept. & expenſ. Codicem tranſferunt, ſummam ſibi formantem quæ non, ut in veteris Codicis ini-

Digitized by Google

cis initio, ex inventario nata ſit, ſed multò aliter, ut ex illorum, & exempli gratia *Bartholomei à Rentergem* libris manifeſtum eſſe poteſt, qui comparationem facultatum in calce Codic. acc. & exp. poſitam inde ad veteris Diarii finem tranſtulit. Atqui pro eo in novi Diarii initio inventarium vel facultatum æſtimationem diſponere mihi magis probatur ut jam ante à nobis dictum fuit, ut novi libri veteribus ſimiliter & exordium & progreſſum ſortiantur. quæ ratio multò & aptior & clarior in Dominiorum & Financiarum extraordinariarum apologiſmo viſa mihi fuit. ubi quotannis librorum novatio fit, ut fuſius ſuo loco dicetur. Iſta ad meam mentem, quæ nunc quidem eſt, mihi ſcripta ſunto, qui vero ab alia ſunt mente, illis ſuo frui judicio licet. Explicato hactenus Mercatorum Apologiſmo, ſupereſt deinceps de Principum Apologiſmo dicamus.

PRINCIPIS APOLOGISTICA

AD ITALORVM RATIOCINIVM INFORMATA.

Digitized by Google

QVando ILLVSTRISSIMVS PRINCEPS Apologiſticâ Mercatorum doctrinâ ad finem feliciter perductâ, quam penitiſſime illius notitiâ informatus eſſet, ad Apologiſticum Dominiorum pulverem porrò contendere animus fuit, ideoq; difficultates & emolumenta quædam, quæ iſtinc exiſtere poſſe viderentur mihi objecit, cum autem non minus ad ſequentia declarandum, quam ad aliorum ſimilibus objectionibus reſpondendũ iſta inſervire, & commodo eſſe poſſint, διαλογιστικῶς illa comprehẽdere, & notis ILL. PR. ILLVSTRISSIMVM PRINCIPEM MAVRITIVM, ST. autem *Stevinum*, deſignare viſum fuit.

DIALOGISMVS.

ILL. PR. Quomodo parvo labore magnæ negotiationes, exiguâ ſcripturâ comprehendi poſſint, & ratiocinio quidem apprimè certiſſimo, ut nihil intercidere poſſit, intellexiſſe mihi videor, quæ res mihi apologiſticam conſimilem in Dominiorum pulvere exerceri poſſe, cogitandi occaſionem præberet, niſi paulò accuratius perpendenti magnæ moleſtiæ mihi objicerentur, quæ in perficiẽdi deſperationẽ penè me adducunt. ST. Quænam iſtæ. ILL. PR. Primum propter *acciſorum* reditus, aliasque quas vocant *recognitiones*, ut ſunt ſues, anſeres, gallinæ, ova, aliæque minutilæ res, quæ Mercatori non occurrunt, inter alia ratiocinia ſunt quæ aliquot millenas *acciſiones* habent, quarum nonnullæ unius ſeſtertii, nonnullæ dimidii, aliæ quadrantis, plurimæ ſemiquadrantis, præter alias beſtiarum frugumq; *recognitiones*, quam latè iſta ſeſe diffundant, cogita. Si ſingulis illorum quotannis ſuum *poſitum* in Codice tribuendum eſſet ſe debitorem, quando autem ſatisfactum eſſet, creditorem faciendo; vide quantum moleſtiarum è toties millenarũ partium tranſcriptione redundaret, quod tamen ad apologiſmi perfectionem abſolutionemque neceſſariò requiratur, neque enim quod minus, majoris cauſa perdi aut peſſum ire conveniens eſt. ST. Iſtud de *acciſionibus* & *recognitionibus* quod dicis, mecum quoque trutinavi atque expendi, atque in proclivi, & ſine moleſtiis eſſe, deprehendi. ILL. PR. Quanam inquam via. ST. Iſta. Ego equidem, ut primum omnium illud moneam, Mercatore, in pleriſque negotiis quæ incidere poſſunt, tanquam exemplo quam libentiſſimè uti ſoleo. quod norma illius minimè fallax, longoque uſu ſuam firmitatem & conſtantiam conſecuta ſit. Cum Mercator inquam per miniſtrum vel ancillam acetaria ſeſtertio, aut ſinapi ſemiquadrante emit, apologiſta illius neque acetarium, aut ſinapi τὸ debet, neque venditorem illorum, aut arcam τὸ credit facit, ſed hujuſmodi emptiones, tanquam impenſas quot menſibus ſimul una in Codicem refert, neque propterea tamen apologiſtica manca & imperfecta fuerit, ut illic in Mercatoris apologiſtica nunc patuit. & ſic Dominiorum apologiſmo, communi *acciſorum* ſumma unam partem facere liberum eſſet, eademque ratio ſummæ aliarum *recognitionum* pecunia æſtimatarum, eoque magis quod ex hujuſmodi pecuniis nullum emolumentum Quæſtoribus ſit, imò ut plurimum intercidunt, tanquam indignæ ut ſolutionis admoneatur debitor, quas tamen in acceptis quotannis numerant. ILL. PR. Rem non fore difficilem ſi iſta via inſiſteretur facile intelligo, ſed aliæ difficultates ſeſe hic offerunt: Quod nimirum Rationum præfecti, Theſaurarii, Quæſtores apologiſticæ ad Italorum ratiocinium informatæ ignaros ſeſe, omniaque negotia (cujuſmodi ſingulis diebus plurima accidunt, neque veritas multum abludit) obſcura ſibi ac moleſta fore, profitebuntur. ut taceam ſi quis

ſuaſor & autor foret, ut ad apologiſticam diſcendam animum adjicerent, riſui & ludibrio illis futurum eſſe. S T. Tantum difficultatis hîc fore facile aſſentior, ut ad felicem exitum rem adductum iri pene deſperem, niſi ab argumentis & rationibus inſtructus armatuſque accedas. Verum ut impetum illotum ſuſtineas, dicendum illis arbitror, quiſque, ut antea, ſua negotia abſque omni mutatione agat, in hac vero apologiſtica proprium & pecnliare quippiam, cujus illi ſecuri eſſe poſſint. Hoc inquam reſponſo contenti eſſe debebunt. ILL. PR. Ratiocinium tamen apologiſtico ſtylo inſcriptum aliam & à vulgari diverſam formulam habet, ubi accepra expenſaque debitorum creditorumque unâ ſummâ comprehenſa proponuntur, cum hic ſingula ſeparatim & per partes quemadmodum accipiunrur & expenduntur, norari ſoleant. Huc etiam accedit plurima nomina in apologiſticâ eſſe, quorum in Dominiis nullius ſit uſus, quæ in ſubductione rationum quandam mutationem ideóque novitatem obſcuritatemque ſecum adferrent. S T. Rariones putandas audiendaſque non ſecus quam antea, neque quicquam mutandum eſſe arbitror, verum Epilogiſmum rariocinii cum ſuo conferre, & urriuſque convenienriam expendere apologiſtę munus eſſe judico. ILL. PR. Hic aliquando non conſtaret ratio, eſſet enim non raro comparatio inæqualis, & differens, ſæpe enim, ut in mentem mihi incidit, apologiſtæ ratiocinium mutilum & imperfectum compatebit, quod accepta expenſaque eo modo ab illo annotātur quo à Quæſtore & ærariò ſcriba ad ſe deferuntur, contra quos multa objici & opponi poſſunt, ut caducorum ædificiorum reparationes honoraria munera, debitionum remiſſiones, & hujus generis alia multa, dominorum injuſſu facta, quorum nulla certitudo niſi ex putatæ rationis epilogiſmo ſive concluſione conſtate poteſt. S T. Simillima plane magnariorum ratio eſt. illorum enim Apologiſtæ omnia, & pecunias, & pondo, & menſuras cum aliis circumſtantiis quemadmodum ad ſe deferunt, ita ſcribere aſſolent. Si qua verò quando cum Debitoribus Creditoribuſq; epilogiſmus initur, ratióq; cōcluditur, diſſimilitudo deprehēdirur, id in ſuis *poſitis* vel annotatur, vel expungitur, quod ita fieri poreſt, ut nihilò minus Mercatoris apologiſtica abſolura & perfecta maneat, ſic de Dominiorum apologiſtica ſentiendum cenſeo. ILL. PR. Etiam illud eſt, quod ex te exquiram, qua ratione quantum pecuniæ ærarii vel tribunus, vel ſcriba ſub clavibus penes ſe habeat. ST. Vt quot menſibus omnes acceptorum expenſorumque parres & nomina, quæ facta ſunt, ad iſti curæ delegatos ſcribat, demandandum cenſeo, quibus in acceptorum expenſorúmque Codicem à Principis apologiſta relatis, pecuniæ reliquum, quantum in ærario apud ſe habeat, tanquam in tabella pictum, non minus quam Arcarii alicujus rariocinium, ante oculos nunquam non verſabitur. ILL. PR. Quod ſi pecunearum aliquid ſilentio præteriret, neque referret, quomodo ſubolere hoc poſſet. S T. Principis apologiſta, non ſecus quam apologiſta magnarii alicujus, unoquoque trimeſtri ærarii facultates ac temporis illius debita æſtimato, illa inprimis ubi coactor remiſſius officium feciſſe videri poteſt, * viatórque, ur parata execurione debirum exigat, mittitor, ſi qui ſatis fecerint, obſides ſe trahi, aut bona præconis voci ſubjici non patientur, ideóque ſolutionis clara indicia ferenr, quibus injuriam ſibi fieri arguant. ILL. PR. At quid optarius coactoribus accidere poteſt, quam Principe debitas pecunias exigente, ſtipendia ſibi nihilo minus perſolvi. S T. Quæ diximus, de pecuniis debitis quidem, ſed negligentius exactis, aut etiam ſilentio ſuppreſſis, intelligi volumus, ideóque non ram ſtipendio Principis gauderenr, quam de peccato corrigendo ſeriò cogitarēt, ne muneri abdicare ſe cogenrur.

* *Sic appellamus qui Belgis eſt een* Deurwaerder/ *quorum imitatione Græce* θυρο-φύλαξ *dici poteſt.*

diſſimilima enim ratio eſt coactorem accuſandi, ſummamque, diemque, quo pecuniam ſilentio ſuppreſſam accepit, demonſtrandi, atque tantummodo de facta fraude ſine probatione conquerendi, quod nihil aliud eſt, quam quod vulgò dicitur ſurdo cantilenam canere. ILL. PR. Si viatorũ adjumento, quo in loco publicanorum & redemptorum res debitaque ſunt, cognoſcitur, ſine apologiſticâ in illam notitiam veniri poſſe, ideoque illâ opus non eſſe, aliquis objecerit. ST. Si abſque apologiſticâ confieri poſſet jam dudum uſu receptum eſſet, cauſa autem cur non poſſit iſta eſt. In ratiocinatorum * λογιστηρίῳ tantæ negotiorum procellæ ſunt, ut quantumvis accurata illorum diligentia ac labor æquari illis nequeat, ſi quis itaque præter conſuetum onus inſuper illis imponeret rationem inire, quomodo cuique redemptorum cum ſuo Quæſtore conveniat, riſui omnibus ſeſe exponeret, tanquam de re plane incognita & inexperta verba faceret. ILL. PR. Atqui poſito, hanc ſpeciem & ideam, quam animo concipere, menteque cernere poſſumus, ita ſe habere. tamen apologiſtas hujuſmodi, homines enim ſunt, non minus, quam alios, pravas curvasque rationes conficere poſſe concedas neceſſe eſt. atque ſic ad antiquum morem res tota recideret. ST. Similis exitus fructusque Principi ſperandus eſt ab apologiſta, quos à ſuis magnarii conſequuntur. Horum enim apologiſtas pleroſque nullas congerere theſauros, neque ab injuſtitia & injuria ſua famoſos fieri experientia docet. Si quis vero apologiſtas Dominorum ſuorũ negotia præclarè gerere, caſum eſſe, & fortunæ adſcribendum putet, huic aliam mihi mentem eſſe, longeque ab eo diſſentire, reſpondeo. apologiſticam nimirum certam conſtantemque cauſam eſſe, quæ ſuis quaſi frenis ab injuria & injuſtitia homines arceat, & ad juſtam negotiorum domini ſui adminiſtrationem cogat, pudore nimirum, & infamiæ metu. ILL. PR. Mercatorum potius attenta ad ſuam rem, & diligens cura felicis ſucceſſus cauſa cenſenda videtur, quibus ipſis ſua curæ ſunt, neque alienę fidei omnia cõcredunt. ST. Iſtud quidem nonnihil conducit, & Principem certè exemplum illorum imitari non abs re eſſet, horam enim unam aut alteram inſpectioni librorum & examini quotquot ſeptimanis impendere, multò minus moleſtum eſſet, quam querulos ſupplicum creditorum libellos legere. & quotidie numinaria difficultate laborare & cura macerari, unde, & quânam viâ, (quod pleriſque evenit) cõmodiſſimè argentum in fœnus quæri, quanam agri fundique potiſſimum vendi poſſint. ILL. PR. Mentem tuam intelligere mihi videor. quod autem, in veteri & uſurpatâ jam aliquot ſæculis ratione nihil mutatum iri dixiſti, vix obtinebis. nónne tantum ſcripturæ quot menſibus à coactoribus mitti mutatio tibi cenſetur. ST. Nihil equidem novum, aut receptæ conſuetudini repugnans hinc exiſtet, ex Principis enim mandato, etiam pacto, quod & ſubſignarunt, & jurejurando confirmarunt, Quæſtores, quotieſcunque ab illis exigitur, facultatum æſtimationem reddere tenentur, illud ſi quot menſibus ab illis exigitur, quomodo novatio aut mutatio dici poterit. addo, in quorundam inſtrumentis vel quæſtorii muneris formulis, rationem quotquot menſibus Quæſtori tranſmittendam eſſe, nominatim exprimi & juberi. ILL. PR. Sed & alia difficultas incidet, unum apologiſtam, ut omnia quæ ſcribere neceſſitas cogeret ſufficere non poſſe, tantus enim ratiociniorum, ſupputationúmque quæ à coactoribus, Quæſtoribuſque quotannis undique comportantur, cumulus eſt, ut quotannis unum aliquem hominem, ſcribendis nominibus ſummatim comprehenſis parem eſſe poſſe, facile neges, nedum partitis; huc accedit Quæſtorũ pleroſque quæſtorio officio impares, adminiſtrorum, quos Clericos vulgò dicimus,

* *Ita dicimus locum qui Belgis eſt een Reken-camer.*

cimus, vicariâ operâ ac fide uti, ut vel hinc, unum apologiſtam ſufficere non poſſe, manifeſtum evadat. S T. Longe alia mens mihi eſt. & quidem iſto argumento. primo, ſingula nomina tam in Diario, quam acceptorum expenſorumque Codice admodum parum ſcripturæ egebunt, ut quæ in aliis ratiociniis integram paginam, vix unum verſum hic impleant. ſingulorum enim luculentior explicatio, ſi neceſſitas poſtulat, ex aliis documentis, locationis, cõductionis, redemptionisque codicillis adferri poterunt: Deinde ordinarii debitores creditoresque, quos in dominiorum ratione, acceptores & expenſores ordinarios appellamus, ordine duas in partes tributi ſcribentur, quod in negotiationum rationibus pari facilitate, (quod hic parum aut nihil ordinariũ ſit) cõfici non poteſt. Tertiò, *acciſiones, recognitionesq́;*, quæ multis & aliquot millenis partibus multum ſcripturæ poſtulant, unam in ſummam ſive partem coguntur, ob cauſas jam modo allatas. Quartò minutulæ diſpenſationes & in aulæ uſum expenſæ excluduntur, ſed tantummodo illæ minutiæ, ut & in negotiatione fit, in unam ſummam collectæ ad iſtum apologiſmum admittentur. Præterea diſpenſatoribus diſpenſatarum rerum Apologiſtæ adjungerentur & quidem ad Italorum ratiocinium, quod non tantum ordinatam ratiocinationum brevitatem pareret, verum etiam admirandam rerum diſpenſatarum culinariæ, cubiculariæ, venatoriæ certitudinem, ut Magnario Apologiſtę ſui adjumento. I L L. P R. Moleſtiam laboremque imminutum iri, aliasque operas Apologiſticæ, ſi opus ſit adjungi poſſe, manifeſtum puto, ut rem effectam reddi poſſe nullus dubitem, ſed contra ratiocinium magni alicujus regni, & potentis monarchæ apologiſtico ſtylo putari poſſe apud me ſtatui. ut ſi, exemplo utor ut clarior tibi meam mentem interpreter, ſi inquã pro uno Ærarii Tribuno viginti Quęſtores ſufficiantur, illis autẽ unus aliquis cum apologiſtâ ſuo tanquam ſupremus præficiatur cujus Apologiſta & ſui Tribuni & illorũ viginti qui Tribuno ſubſunt, non ſecus quam ſinguli Quæſtorum Apologiſtæ, & ſui Domini & inferiorum coactorum faciunt rationes, putaret. Prolatis etiam regni finibus, viginti Tribuni pro uno illiſque ſimiliter unus ſupremus cum adjuncto Apologiſta præfici poſſet, ut rem confieri, omniaque optimo ordine ἁπλολογικῶς comprehendi, uberrimoſque fructus hinc exiſtere poſſe nemini dubium eſſe poſſit. S T. Et ego in hujuſmodi cogitationes non raro incidi, & vel univerſos Terrarum orbis, ſi unius monarchæ imperio pareret, reditus & fructus brevi via, & recto ordine ſub Apologiſtices ratiocinium & calculum cogi poſſe, ut nemini tamen apologiſtarum plus oneris quam ferendo eſſet imponeretur. Atque theoricè apud mentem meam iſtud contemplabar. Si progreſſio vigecuplæ rationis, ut Celſitudo tua paulo ante propoſuit, ad tertium uſque ab Ærarii Tribuno gradum continuaretur, univerſus pecuniæ coactorum numerus octies millenorum, quadringentorum, & viginti unius eſſet. Octies enim milleni eſſent coactores, quadringenti Quæſtores inferiores, viginti ſuperiores, unus denique Ærarii præfectus ſive Tribunus, quæ res longè latéq; ſeſe diffunderet, pręſertim cum *Iehan Hennequin Au Guidon des Finances* in Galliaũ regno mille Quæſtores ſive Theſaurarios eſſe memoriæ proditum reliquerit. I L L. P R. Vt arbitrio judicióque tuo nonnulla nobis de dominorum ratiocinio, & quidem apologiſtico modo παραδειγματικῶς delineares, optabile eſſet, inde enim æſtimare licebit quam firma & certa ratione, quaq; viâ ſeriò rem aggredi poſſimus. S T. Haud gravatim fecero.

DIALOGISMI FINIS.

Colloquio finito, ſtatim, ut juſſus ab ILLUSTRISSIMO PRINCIPE fui, ad ſpecimen Apologiſticæ Dominiorum deſignandum me contuli & quidem ſecundum Italorum ratiocinium, quod à me cõfectum *eius Celſitudini* obtuli, oblatũ examinavit & expendit, cum autem firmo fundamẽto niti, indubitataque via progredi videret, experimentum ejus capere ſtatuit. Callentiſſimum igitur, diu multúmque in negotiationibus verſatiſſimum Apologiſtam iſti fini delegit, qui cuncta ſpeciminis noſtri plenè edoctus & ſecutus, Librorum formulas ac modos, primo anno, qui fuit 1604, tam firmo conſtantiq́ue ſolidavit fundamento, ut plures jam annos duraviſſe videre poſſent. Speciminis autem Apologiſtici illuſtriorem explicationem deinceps ſubjiciam.

APOLO-

APOLOGISTICA
DOMINIORVM AD ITALORVM
RATIOCINIVM PVTATA.

G i

Digitized by Google

BREVIARIVM APOLOGISTICÆ DOMINIORVM.

QVandoquidem Apologiſtica à me deſcriptæ finis eſt, ut quantum in me eſt proſim, artemq́; promoveam, communiq́; aliquis uſus inde exiſtat atque promanet, idque à Mercatorum Apologiſtis Italicum ratiociniũ edoctis commodiſſimè expediri poſſit, quorũ raritas tamen permagna eſt qui in Dominiorum & Financiarum apologiſmo ſeſe exercuerunt: itaq́; ut nonnullam ſibi notitiam acquirant rationesq́; illorum quibuſcum res erit intelligant, apologiſticam denique ſuam, hoc eſt Mercatorum, ad Dominiorum ratiocinationem naturamq́; applicent operæ pretium facturus mihi viſus ſum, ſi in breve aliquod compendium totum negotium contraherem. ut ſequitur. Financia vulgò in Ordinariam cuiuſmodi dominia ſunt, & extraordinariam (cuius rei plenior illuſtriorq́; explicatio in Definitionibus cap. 1. ſequetur) bipartito dividitur, & cuique ſui ſunt quæſtores & pecuniarum coactores, ſuiq́; Theſaurarii qui acceptas expendunt diſpenſantq́;. Quia vero diſpenſationum apologiſmus nõ nihil proprium habet, Quæſtorum & Coactorum longe diſſimile ac diſpar, diſtincte ſcripturi ſumus. & primum quidem de apologiſmo pecuniarum à Quæſtoribus acceptarum quæ Dominiorum Apologiſtica nobis dicetur. deinde apologiſmo pecuniarum à Theſaurariis diſpenſatarum quas Principum diſpenſationes indigitamus. Apologiſticam autem Dominiorum, quam primo loco deſcripturi ſumus, decem capitibus complexi ſumus.

I. *Definitiones & ſpecies Financiæ habet.*

II. *De forma & circumſtantiis λογιςηρίῳ, deq́; Quæſtoribus agit, quantum quidem novum Dominiorum Apologiſtam ſcire convenit.*

III. *Formulam ratiocinii Quæſtoris præſcribit, quâ in Dominiis & Financiis utendum eſt.*

IV. *Quo ſignificatu in Dominiorum Apologiſmo voculæ, ſors, ſive ſumma, ſive caput, & Arcarius ſumi debeant.*

V. *Docet nomina ſive partes diſponere in Dominiorum Diario.*

VI. *Tradit modum transſcribendi nomina è Diario in acceptorum expenſorumq́; Codicem.*

VII. *Specimen & exemplar habet Diarii & Codicis legitimâ formâ deſcriptorum.*

IIX. *Eſt de facultatum æſtimatione, & Dominiorum Epilogiſmo, ſive concluſione.*

IX. *De Apologiſmo Dominiorum quæ maioris difficultatis ſunt ac curæ, quam ut ab uno aliquo poſſint adminiſtrari.*

X. *Diſputatur quæſtio, magiſne conducat, & ex re ſit Quæſtorem ratiocinia ſua veteri & uſitato modo conficere, atque concludere, an vero iſto apologiſtico ſtylo, & Italorum imitatione.*

I CA.

I CAPUT.

DE FINANCIÆ DEFINI-*tione, ejuſque ſpeciebus.*

QVandoquidem Dominiorum, & Financiarum apologiſticam deſcribere nobis propoſitum eſt, ſignificationeſque vocabulorum, tanquam exoticorum, ignorantur fortaſſe illis quibus huc ad apologiſticam ſeſe applicare animus eſt, nonnihil evidentiæ & perſpicuitatis illis adferre viſum fuit.

Financia eſt facultatum populi ad reipublicæ conſervationem collatio.

Financia autem in Ordinariam & Extraordinariam diſpeſcitur, rerum enim publicarum gubernatoribus utile fore viſum fuit, ſi utriuſque ſeparatim atq; ſeorſum ratio ineatur, & quidem (in primis ſi reſpublica potentior ſit) diſtinctis collegiis, ut ſui cuique adminiſtratores ſint, ne ratiocinia illarum cõfundantur, & miſecantur. Caveatúrque ne in Ordinariâ præter normam aliquid augeatur muniatúrve: denique, quid propriè ad extraordinariam requiritur, decernatur. Ordinaria autem & extraordinaria Financia, à Francis ſcriptoribus, qui in hoc pulvere ſeſe exercuerunt (contra quos tamen nonnulla adſeremus) ita definiuntur.

Dominium eſt ordinaria Financia ad ſtatum Principis tuendum conſervandumque deſtinata.

In Reipublicæ adminiſtratione ut Principis ſtatus conſervetur neceſſarium eſt, eique fini Palatinis officiis, ac muniis neceſsariis ex ordinaria pecunia, annuiſq; reditibus ſtipendium quotannis perſolvitur. atque hujuſmodi ſunt quæ dominia, &, quia quotannis ordinatim redeunt atque recurrunt, etiam Ordinariam Financiam vocitare ſolemus.

Dominiorum reditus alii ſunt ſtabiles & fixi, alii inſtabiles & fluxi. fixi ſtabileſque ſunt anniverſarii reditus, & acciſiones, etſi enim ędificiorum conflagratione & agrorum, qui pro hypotheca obligati ſunt, depopulatione mutari poſſint, ut aut parvi, aut nulli inde reditus proveniant, tamen inſitâ naturâ, quam extra vim, & hujuſmodi caſus habent, fixa & ſtabilia dominia rite nominabuntur. Mutantur autem reditus & locationes agrorum, decimarum, piſcinarum, vectigalium, moletrinarum, ædificiorum, aliaque hujus generis permulta, quorum locatio vel conductio quam ſæpiſſimè mutantur. In mutabilibus etiam illa numerantor, quę caſu aliquo & fortunâ obveniunt, ut mulctæ ſunt & cõfiſcationes, item quæ mari fluitantia, aut è mari in littus ejecta reperiuntur. & hujuſmodi alia.

Neque illud ſilentio prætermittendum Principum nonnullis dominia augere, minuere, & pro arbitrio mutare permiſſum eſſe, ut Monarchis, aliiſq; quibus illud jus à populo datum eſt, alios vero legibus ita obſtrictos, ut quicquam mutare illis negatum ſit, hoc eſt neque dominiorum caput & ſortem minuere, neque eum ſubditorum onere augere: Vtriuſque ex re & commodo eſt Dominia & extraordinariam Financiam diſtinctis uti ratiociniis. Monarchis quidem, ut quam ſtatus ſui diminutionem aut etiam accretionem facere poſſint, & quantum extraordinarii cenſus opus ſit intelligant. Reliquis vero principibus,

ut, ſi neceſſe foret, demonſtrare poſſint, æquitati legibusque convenienter ſeſe in utraque geſiſſe, vel aulæ ſumptus & impenſas majores eſſe, quam ut ab illis Dominiis ſubſtineri poſſint, ideoque neceſſarium eſſe hac in parte ſubveniri, doceant. Vel etiam quantum pecuniæ de ſuo ipſorum patrimonio pro communi & publica cauſa extraordinariè expenderint, ut ſuo tempore factos ſumptus recipere poſſint, quod commode fieri nullo modo poſſet, ſi utriuſque Financiæ ratiocinationes commiſcerentur. etiam aliis illa proderentur & innoteſcerent, quæ ſcire illorum nihil intereſt.

Alteram ſpeciem ita definiunt:

Extraordinaria Financia eſt, quæ pecuniarum collationem in bellicos uſus imperat.

Regiones & provinciæ alta pace fruentes & belli expertes, ordinarios cenſus quotannis conferunt, bello vero exorto, & anniverſario cenſu non ſufficiente, alios extra ordinem pro belli difficultate, modo majores, modo minores accedere neceſſe eſt, quam propterea extraordinariam collationem & Financiam appellitare conſuevimus.

Atque hujuſmodi, ex vulgi ſententia, ſunt duę illæ definitiones: contra quas, ut jam antea monui, aliquid in medium adferam, & quidem iſto pacto. Si extraordinaria Financia illorum eſt quæ in uſum belli comportantur, conferunturque à populo, regiones quietas nullo bello infeſtas etiam ab extraordinariâ Financiâ, & extraordinariâ pecuniarum collatione liberas eſſe conſequens eſt, cum res ipſa longe aliud arguat & clamet, nam in publicis operibus exædificandis, ut templis, curiis, portibus, & porticibus, aliiſque quam plurimis, extraordinarii cenſus & pecuniarum collationes imperantur. Deinde ſi Dominia ordinaria pars Financiæ eſſent ad ſtatum Principis conſervandum deſtinata, quicquid ordinariè pendunt ſubditi, id ad Principis ſtatum pertinere ſine ulla exceptione videbitur. Addo & illud in Politiis, non Monarchicis, ſed Ariſtocraticis aut Democraticis, quia nullus eſt Princeps ideoque nullus Principis ſtatus cõſervandus, nullam quoque ordinariam illic fore Financiam ſive pecuniarum collationem, quod communi experientiæ repugnat, & adverſatur: & quamvis contra quis opponere poſſet ex parte integrũ συνεκδοχικῶς hic intelligi, aliiſque rationibus variis definitiones diſputari & defendi poſſent, tamen ordinaria & extraordinaria Financia, vitandæ ambiguitatis cauſa, commodiſſimè ſic definentur.

Ordinaria Financia eſt cujus certa initur ratio quotannis ſine ulla intermiſſione conferri debere, ut ſit unde ordinariis neceſſitatibus, quæ quotannis interveniunt, ſolvi & ſatisfieri poſſit.

Extraordinaria verò quæ incerta eſt, & contra incertos fortuitosque caſus incidentes confertur & penditur.

Dominiis in Ordinaria Financia, & bellicis ſumptibus in extraordinaria numeratis, ſi quæ aliæ partes aut ſpecies ordinariæ reperientur, quæ non ſunt dominia, ſique præter bellicos ſumptus aliæ ſpecies erunt extraordinariæ quæ ad bellum tamen referri non poſſunt, nulla omnino contradictio fuerit.

Quæ autem à nobis dicta ſunt hic non cavillandi alios, aut falſæ definitionis arguen-

arguendi libidine diximus, ſed quod plurima adferri poſſint, quæ ab illis dicta infringant, quiſquis enim ad ea quæ quotidie accidunt attentus erit, nonnulla extraordinaria Dominiis accenſeri, & contra ordinarios Dominiorum reditus in bellicos uſus, neceſſitate ita cogente, impendi comperiet. Sed iſta ſufficere arbitror, præſertim cum hinc exoticorum vocabulorum, Dominii & Financiæ intelligentia manifeſtior evaſerit.

2 CAPUT.

DE FORMA ET CIRCUMSTANtiis Logiſterii, *& rationum præfectis, & Quæſtoribus, quantum quidem novum Apologiſtam ſcire convenire videtur.*

DVæ jam dictæ ratiocinationis ſpecies, Dominium ſcilicet & extraordinaria Financia, communem locum & commune collegium habent, ſi in minori potentia ſit Princeps, & anguſtiores agrorum termini ſint, ubi etiam ordinum & juſtitiæ negotia, & quicquid præterea incidit, expediuntur. qui locus à potiore negotiorum parte λογιστήριον ſive rationum Camera, qui autem negotia adminiſtrant, rationum Magiſtri, præfecti, & Conſiliari appellantur. Rebus autē Principis ita prolatis & auctis ut numerum creſcere neceſſe ſit, in diverſa & diſtincta collegia diduci conſultum videtur, ut ſingulis collegiis ſua ſint negotia, ſuaque, in qua occupentur, materia: hinc in Rebuſpublicis potentioribus diverſa collegia, diverſaque Conſiliariorum genera extiterunt. ut ſunt Conſiliarii Dominiorum, Financiæ, Ordinum, Iuſtitiæ, Curiæ ſupremæ, Curiæ Provincialis, Privatæ, Conſiliarii Thalaſſici ſive maritimi, & bellici, aliique plures, quibus omnibus definito tempore à legittimâ beneque conſtitutâ Financiâ ſtipendia perſolvuntur, & quidem plerunque, excepto Senatu bellico, è Dominiorum reditibus, qui extraordinariâ Financiâ certiores ſunt, ad Principis enim ſtatum pertinere creduntur.

Ita vero ut plurimum conſtitutum eſt, ut ſingula Logiſteria plures pecuniarum coactores habeant particulares, ut vocant, unū autem generalem Quæſtorem ſive ærarii Tribunum, cui coactas & collectas annumerent, ut ſic ad unum ærarium omnes referantur. ut, quando Principi facultatum æſtimationem, & pecuniæ ſummam ſcire libuerit ex uno illo cognoſcat, neque opus ſit ex diverſis coactoribus ſciſcitari. Generali nomine Magiſtri pecuniarum tria genera hominum, apud noſtrates, Quęſtorum ſcilicet, Acceptorum, & Theſaurariorum comprehendi intelliguntur. Quæſtores Dominiorum, Acceptores vero extraordinariæ Financiæ pecunias cogunt & colligunt. apud noſtrates autem nominatim; Francis enim nullum Quæſtoris & acceptoris diſcrimen eſt, utrunque enim communi nomine *Receveurs* appellant.

Quid autem diſcriminis ſit Theſaurarii ab Acceptore quæri hic poſſet. mea equidem ſententia eſt, ut nunc quidem in Francorum Financiâ nomen uſurpatur, Theſaurarium Teutonice **een betaelder** / hoc eſt datorem & ſolutorem appellari poſſe, ut ſic Acceptori opponatur: Principis enim debitū diſſolvit pecuniâ quam à Quæſtoribus aliiſque coactoribus, tanquam Principis θησαυροφύλαξ accepit, pecunias autem ad Theſaurarium referre, nihil autem debitionis

nis diſſolvere Quæſtorum munus eſt. quemadmodum neque θησαυροφύλαξ pecunias colligit quando à Quæſtore ad illum adferuntur. eſt enim nihil aliud quam pecuniarum Principis ex uno loco in alium tralatio & quaſi migratio, quando ab hujus cuſtodia in illius Officialis aulici manum traduntur. Pecuniarum Præfectus cui diverſi Quæſtores coactas pecunias adnumerant Generalis Quæſtor, vel Tribunus Ærarii dicitur; ad quem vero diverſi coactores, vel ut nunc loquuntur, particulares receptores coactas pecunias deferunt Coactor ſive Receptor generalis appellabitur. Eſt tempus quando Tribunus Ærarii, & Coactor generalis, idem ſit etiam * Theſaurarius, eſt etiam quando non item. Theſaurius quidem quando Principis ſui alienum æs collectis pecuniis diſſolvit; non autem quãdo illas acceptas ad generaliorem Receptorem, aut Coactorem comportat, quod in magnis Financiis uſu venit. Theſaurariorum non nemo etiam generalis eſt, ſi aliis inferioribus præeſt. ſi nulli ſubſunt aut parent generalis appellari non poteſt.

** ita nobis deinceps dicetur, qui Græcis eſt θησαυροφύλαξ.*

Cogendi autem pecunias (quæ nondum collectæ aut ſolutæ ſint) ratio & norma communis hæc eſt. Quæſtores & Coactores, certâ ſummâ vel ſtipendio obſtricti, univerſi debiti, quod debitorum diverſi, quorum nomina in ſchida ſive tabella perſcripta acceperunt debent ſolutionem Principi addicunt, ſive illi ſatisfaciant debitionemq́ue diſſolvant, ſive non; illis nominibus tantummodo exceptis, quæ ita ſunt impedita, ut quam diligentiſſime ab illis exacta, diſſolvi non poſſint. Vnde commodiſſima, & quam maximè compendioſa quotannis putandi ratio exiſtit, quod pecuniarum Præfecti, & Quæſtores ſingula nomina in acceptis numerare debēt, nõ minus quam ſi diſſoluta eſſent: ut ad rationum Præfectos, è minutis debiti, quemadmodum debitorum ſinguli in more poſitum habere ſolent particulis, nulla moleſtia nullum tædium redundet, tum etiam quod pro univerſis Quæſtores ſatisfacere teneantur. Contra vero huc temporis uſque tantæ difficultatis, tantæq́ue molis fuit Quæſtores debitum ſtudium & accuratam diligentiam non adhibuiſſe, arguere ac demonſtrare, ut illorum integritati fideiq́ue res tota commiſſa fuerit, & Principibus dictis illorũ ſtandum fuerit. Cujus cauſam nominum, quæ exigenda veniunt, multitudinem eſſe puto, & certe hactenus ita deſperatum eſt, ut nullâ ratione Principem in tam accuratam ratiocinii notitiam, qualem magnitudo rei poſtulat, venire poſſe, creditum ſit: præſertim cum in logiſterio tantis negociorum procellis rationorii quotidie obruantur, & pene opprimantur. Recepto autem Apologiſmo ad Italorum ratiocinium putato, cujus paulo pòſt ſpecimen daturi ſumus, longe ſecus, & ſine difficultate & moleſtia res erit.

3 CAPVT.

DE FORMVLA RATIOCINII, QVA *in Dominiis, & in Financiis extraordinariis utendum eſt.*

NOn ignorandum eſt, non, quemadmodum in Italorum Apologiſmo iſtâ paginâ τὸ Debet, illa verò τὸ Credit ſcribitur, ſic etiam hic fieri. Sed primum univerſa acceptorum genera ordine continuato, minimeq́ue interrupto ſcribi tantummodo, diverſis acceptorum generibus ad ſua capita relatis, apteq́; diſtinctis, ut majoris intelligentiæ cauſa, in Quæſtoris ratiocinio agrorum reditibus ac cenſibus finitis, decimarum locationes cum novo hujuſmodi titulo ſubjiciuntor.

ALIVD

ALIVD ACCEPTORVM GENVS, *Decimarum ſcilicet.*

Accepta quoque in Ordinaria & Extraordinaria ſæpe dirimuntur. Ad ordinaria referuntur reditus, acciſiones, agrorum penſiones, & hujus generis alia quę quotannis recurrunt ut præcedentium annorum. Extraordinaria verò incertis caſibus & proventibus obnoxia ſunt, ut mulctæ, & mari quæſita, aliaque hiſce ſimilia, etſi enim illorum capita & tituli quotannis rite ſcripta diſpoſita ſuo ordine ſequuntur, partes tamen illic comprehenſæ in ſpecimen & exemplum ſequentium annorum, quemadmodum in acceptis ordinariis fieri videmus trahi non poſſunt. Quantumvis acceptorum diverſa genera, in ſuum quodq; caput, accuratè diſtributa ac diviſa ſint, tempora tamen non rarò incidunt, quando accepta compluria ad ullum illorum neq; propriè referri, neq; peculiaria capita illis aſſignari poſſint, quæ ſi eveniant, variæ hujuſcemodi ſpecies in unum cumulum conjicere, illiſque ſub acceptorum finem proprium caput, quod *Extraordinariorum* appellent, deſtinare ſolent, quod indicium legenti facit, illuc partes illas eſſe conjectas, quæ ad ordinaria acceptorum capita referri non poſſunt. Poſt accepta, ſimili plane modo expenſa continuè non interruptè ſequuntur. Etiam hoc pro communi norma haberi notabile eſt. Ordinaria & accepta & expenſa cujuſque ratiocinii quotannis conſimiliter (niſi forte* Dominiis auctio, imminutio, aut immutatio accidat) non tantum ordinata partium, ſed etiam in partibus ipſis eadem verborum conſequentia diſponi, mutatis tantum quæ mutare res ipſa monebit, ut ſunt Colonorum nomina, fundorum conductionis precia, & horum ſimilia. & quidem iſti bono & fini: Solent enim rationum Præfecti in ratiocinii auditione ſuperioris anni ratiocinium adhibere, interq; ſe componere ſi ordinariæ illorũ partes conſonent ac conveniant, nullam partium deſiderari, aut ſilentio aut incuriâ omiſſam eſſe certiſſimum judicium eſt, quod tam expeditæ facilitatis nullo modo eſſe poſſet, ſi dicta partium convenientia, & accurata verborum in partibus ipſis conſequentia deſideraretur, etſi enim in verbis idem ſignificatus & efficacia ineſſet, inquirere tamen in illud, ut veri certiores eſſent, rationariis tædioſum & moleſtum foret. & quantumvis acceptor quæſtórve nō accepiſſet, aut expendiſſet quod ſibi injunctum eſſet, nihilo minus tamen tanquam accepiſſet aut expendiſſet nomen ſuum profitetur. Ad hanc ratiociniorum convenientiam tantâ attenditur diligentiâ, ut etiam ordinariæ partes & nomina, etſi nullus illo anno proventus fuit, tamen in regeſtum veniat hujuſmodi verbis ad finem additis. *etſi vero hinc nullus reditus aut proventus hoc anno fuit, tamen ne memoria excidat hic apponitur.* Cauſa autem conſuetudinis hujus fuerit, ne forte, in regeſto non additum, ad quod tanquam normam ſequêris anni ratiocinium dirigetur, & fortaſſe aliquis inde proventus exſpectari poſſet, paulatim, ut fit, ex hominum memoria abeat & aboleatur. Si præterea acceptor quæſtórve propter colonorum verſuram, vel conducti fundi aut pretii conductionis inter plures partitionem, aliaque ſimilia minutiores jugerum, ſummarum, redituum, aut aliarum qualiumcunq; rerum particulas in ratiocinium adduceret, contra normam & conſuetudinem peccaret, & præterquam quod plus laboris ac moleſtiæ auditoribus adferret, concluſio quoque & Epilogiſmus minus certus eſſet.

* *Dominia Aſconio Pediano Canones appellari videntur, quorum ſcilicet penſitatio legitima & ordinaria eſt.*

Hactenus quæ Mercatorum Apologiſtæ Italicum morem edocto, Dominiorum autem Apologiſmi ignaro, tamen in iſto pulvere deinceps exercere ſe cogitanti conducere putavi, tanquam prima artis elementa declaravi. Verumenimve-

enimvero reformatis logiſteriis ſuos Officiales eſſe, Præſidem nimirum, Rationarios Auditores, Correctores, Graphiarios, Clericos, & Viatores, objici hic poteſt, & quod cujuſque munus, quomodo ratiocinia audiantur, examinentur, admittantur, difficultates decidantur, ſolutiones teſtatæ fiant, huc concluſiones & epilogiſmos item alias circumſtantias adjunge. Verum longius iſta ſeſe diffundunt, quam mihi declarare, hic animus fuit. Quiſquis igitur pleniorem intelligentiam requirit ſcriptas ordinationes & inſtructiones (modo conſequi poſſit) Logiſteriorum legat ſuaſor & autor ſum, aut alios typis evulgatos libros, qui verò ad meas venere manus ſunt iſti:

Guidon general des Finances.

Annotations ſur le Guidon general des Finances.

Recueil des Finances.

Traicté des tailles.

Le 12 livre de Code Henri.

Le veſtige des Finances deſcrit au Threſor de la Chancellerie.

Vt ad rem accedamus ante omnia hæc enucleabo.

4 CAPVT.

QVO SIGNICATV IN DOMI-*niorum Apologiſmo voculæ caput, ſive ſors, ſive ſumma, item Arcarii ſumi debeant.*

CVm in hoc opere ad apologiſmum Mercatoribus uſurpatum probatumq́; reſpexerim, illi autem à capite aliquo ſive ſummâ, ut antea patuit, Diarii ſui initium ſumant, cujus pars prior hujuſmodi eſt. Diverſæ partes *debet per* ſummam; altera, ſumma *debet per* diverſas partes: ego illorum apologiſmum imitaturus, mente mea agitare cœpi, quænam partes Principis ſummam conſtituere poſſint, itaque propoſiti memor tenaxq́ue, nimirum ad anniverſarias ratiocinationes me contendere & niti, ut aſſiduè quomodo Quæſtoris arcæ ſeſe habeant & conſtitutæ ſint exquiri poſſit, præſentariam pecuniam, quæ apud Quæſtorem in Arca ſub clavibus eſſe debet, cum debito univerſo, ſummam feci, ut univerſos creditores ſummam τῷ debet, non ſecus quam Mercator præſentariam pecuniam cum debitoribus creditoribus ſuam facit ſummam. ita tamen ut in primi anni ſummâ ſive capite, argentum factum & eſcarium, κειμήλια, aliaq́ue mobilia, neque fundorum aliarumq́ue rerum, quæ redituum proventuumq́ue hypothecæ ſunt, precia non annumerentur, nihil enim adjumenti ad Arcæ notitiam, quæ quæritur, accedere poteſt. Si vero poſtea reditus aut emuntur, aut venduntur, quia illorum venditor emptorq́ue ad Codicem referendi ſunt, etiam hujuſmodi ſummam in capite librorum, qui ſequentium annorum ratiocinio inſerviunt, poni debere, conſequens eſt. Si vero quis, pretia fundorum, aliarumq́ue rerum, quæ hypothecæ ſunt, item argentũ redituum factum, κειμήλια, aliaq́ue mobilia, veras partes ſummæ, ſive capitis eſſe contendat: Sunto equidem, at non illo ſenſu, & ſcopo ad quem nos cõtendimus atque enitimur. Quemadmodum enim allo loco illam ſummam habet Mercator, quam in ſocietatem aliquam contulit, alio vero aliam quæ extra ſocietatem eſt, ita & Dominiorum ratio ſeſe habet.

Neque

Neque ego hic bona vel merces, neque Creditores propter diſpenſationem ad ſummam refero. Verum equidē eſt objici nobis hic poſſe. Si θησαυροφύλαξ Creditoribus diſſolutis pro mercibus aut bonis emptis non ſatisfaceret, mutationem quandam Arcæ illius, idcoq́ue & Dominiorum ſummæ, cui Arca tanquam pars annumerata eſt, illatum iri, & propterea illam debitionem, emptaq́; bona in capite ſive ſummâ numeranda eſſe, rationem dictare. Cui occurrimus. Cauſam, cur id non fiat, eſſe. quod Diſpenſationi, de qua dicemus infra, ſuus & proprius ſit liber, quo hujuſmodi ſummam potius, quam ad Dominia, referri æquitas poſtulat. quod illic cum creditoribus, qui in Dominiis nulli ſunt, ratio ineatur. illud tamen prætermittendum non eſt, in facultatum æſtimatione ſummam diſpenſationis ad Dominiorum ſummam adjungendam eſſe, ut mutatio univerſæ ſummæ quæ iſto anno facta eſt. perfectius penitiuſque innoteſcat, quemadmodum infra fuſius in facultatum æſtimatione dicetur.

Pro Arcario, ut Negociatores, tanquam exemplar, ſequamur, Theſaurarius eſt, cujus nomen neque ad τὸ debet, neque ad τὸ credit refertur, ſed illius loco Arca, ob cauſas jam ante diſputatas. Si quis particulares Coactores, Quæſtoreſque univerſos nō minus quam generalem Theſauratium ſive Ærarii Tribunum ſui Principis arcarios eſſe contendat, ideóque pro illorum nominibus Arcæ nomen uſurpari debere, ut à Theſaurario uſurpari ſolet: is huic objectioni 5 cap. Apologiſticæ Mercatorum abunde à nobis reſponſum eſſe ſciat.

Antequam ad ipſum negocium accedamus, monendus nobis es lector, ut exemplar Apologiſticę Dominiorum breve & compendioſum ſit, tres tantummodo Quæſtores Neoſtadium, Hoghenhuſium & Swanenburgium me uni Theſaurario ſubdere, & partes cujuſque Quæſturæ non plures, quam ad exempli illuſtrationem neceſſariæ ſunt, adducere.

5 CAPVT.

DE NOMINVM SIVE PARTIVM *diſpoſitione in Dominiorum Diario.*

QVando primùm Dominiorum ILLVST. PRINCIPIS mei Apologiſmum aggreſſus ſummam & caput illorum informarem, impedita & nondum ſoluta nomina plane neglexiſſe, neque ullo modo in Codicem referre voluiſſe, te Lector admonitum ante omnia volui; fuiſſet enim exigui emolumenti labor permagnus: ſed illius vitandi cauſa (quæ communis norma omnium, qui hanc apologiſmi formulam imitari deinceps volent, videri poteſt) Theſaurario & Quęſtoribus univerſis in noviſſimum anni, id eſt 31 Decembris diem anno 1603 epilogiſmum facere & ratiocinia concludere, ſeque debitionum nondum diſſolutarum debitores profiteri, imperatum fuit, ut tamen cuiq; jus, quod de foro cedentibus, malis nominibus, aliiſq́ue ſimilibus prætexere poſſent, integrum reliqueretur, quæ omnia non ita diu poſt finita & deciſa ſunt, & quicquid ſuum eſſe docere quiſque potuit, ad τὸ credit illorum relatum fuit, atque ſic impedita nomina, à quibus initium factum eſt, perpauca fuerunt, exceptis agrorum conductionibus nondum diſſolutis. Ad initium autem Diarii ſecundi anni tarda nomina primi, & ſimiliter deinceps, inertia debitorum, nomina ſuperiorum annorum ad initium poſterioris perpetuò referenda ſunt. Cum autem Principium Diarii primi anni à principio ſecundi hoc diſcriminis habeat,

habeat, & in quæſtionem veniat utrum amborum exempli inſtar imitari commodius ſit, ſecundi anni & ſequentium formulam eligere malui, ubi nimirum tarda cōductorum nomina debitores fiunt, iſtud eum quotannis imitari debet, illud alterum ſemel tantum incidit, ſatisque ex illis quæ dicta ſunt intellectum videtur. ut in ſcribendo ſequentis anni Diario primæ partis initium ſit hujuſmodi: Diverſæ partes τῷ debet per ſummam, ubi autem Generalem Quæſturam ordimur, primum omnium tarda debitorum, & ſuperiori ratiocinio reſidua nomina collocantur, hinc labentis anni debitores ordinarii, qui ad Generalem Quæſturam pertinent. tum Quæſturæ ſingulæ Nieuſtadiana, Hoghenhuſiana, denique Swanenburgica ſequuntur & harum unaquæque habet primum nomina à ſuperiori ratiocinio reſidua, tum anni labentis ordinaria, ut ex Diario patebit.

Quamvis Quæſtores ex ſtipulationis formula pro quibuſvis debitis integris, non partitis aut diremptis ordinariorum Debitorum & Creditorum reſpōdere teneantur: tamen cum ſcopi & finis noſtri ratio habenda ſit. quod eſt quandocunque libitum fuerit, vel potius, nunquam non cognoſcere, quantum numorum in Arca ſub clavibus ſit, iſtam rem admodum Arcariorum, in quos hujuſmodi obligatio non cadit conſideramus. illi enim mercatoribus ſtipulantibus ſe Debitores & Creditores ſpondent ac profitentur illorum, quæ reipſa acceperunt & expenderunt, ſalvâ obligationis formulâ.

Primâ magnâ Diarii parte deſcriptâ, ſecunda in Creditoribus ſic ſequitur. Summa τῷ debet per diverſas partes ſive nomina, ubi ſimiliter tardi & impediti in quaque Quæſtura loco priore, deinde labentis anni Creditores diſponentur.

Deinde Quæſturæ in utraque parte majore jam deſcripta ita diſpoſitæ collocantur, quemadmodum illas in Dominiorum generali ratiocinio Theſaurarius * ad pluteum refert. Præterea in ſingulis Quæſturis ille partium ordo eſt qui in Quæſtoris * plureali ratiocinio, hoc eſt, quemadmodum illic primo loco Quæſtura Nieuſtadiana eſt, hanc autem Hoochuyſiana, iſtam deniq; Swanenburgica ſequitur, ſimili ordine omnes hic ſibi ſuccedunt. Deinde ut in Quæſtura Nieuſtadiana loco primo agrorū reditus tanquam prima pars, deinde ſecunda, tum reliquæ conſequenter diſpoſitæ ſunt: ita nihilo ſecius hic eſt. ut apologiſtica ad ſtalorum ratiocinium putata cò rectius cum plureali ratiocinio conveniat congruatque.

** ad burellum. * [illegible] rekeninge [illegible] ratiocinium [illegible] plu[illegible], vel in auditorio [illegible] fa[illegible] [illegible] fit.*

Tituli & Epigraphæ Quæſturarum eminentioribus magiſque luculentis literis, quas Capitales vocant, expreſſæ ſunt, ut ubi ſingulæ partes cujuſq; Quæſturæ initia ſumant magis conſpicuum ſit, ubi & ordinis notatio hujuſmodi obſervanda venit. Epigraphas in unaquaque majorum partium cujuſque Quæſturæ bis ſcribi, ignotum eſſe jam non poteſt, ſemel in Debitorum, iterū in Creditorum nominibus ſive partibus. itaque ut ſimul ac aperto & explicito Diario iſtarum alterutra in oculos incurrit judicari poſſit ad Debitorūmne, an ad Creditorū nomina referri debeat, iſtud quod ſubjicio opem adferre poterit. Majores ſive Capitales literæ ſunt figuræ geminæ, alteræ enim erectæ & quaſi perpendiculares, alteræ vero inclinatæ & quaſi obliquatæ, hinc inquam diſcrimination ſumi poſſet, ut una figura uni Epigraphe, alia vero reliquæ quaſi dicaretur. Sic enim in Diarium ſæpe inſpicienti, & ordinis conſequentiam in Quæſturis memoria tenenti optime conſuletur, ſic enim commodius citiuſque perſonas reſque quæſitas, quam elementorum A, B, C adjumento, inveniet atq; expediet, quibus tamen ipſis, quando neceſſitas poſtulabit, utendum erit.

Et hujus monendus mihi es lector, tardos Debitoreſq; Creditoreſq; Diarii anno

anno 1606, tantummodo ex acceptorum expenſorumq́ue Codicis anni 1604 epilogiſmo collectos eſſe, cum juxta communem rationem ex Epilogiſmo proximè elapſi anni 1605 id fieri debuiſſet, ejuſque reliquos debitores nō commemorari, ideoq́ue Quæſtores non modo particulares, verum etiam generalem, quem Arcæ nomine intelligimus ad hos debitores non adire. Epilogiſmo enim anni 1604 ſatisfactum eſſe, tantumq́ue debitionem anni 1605 reliquam reſtare, ponimus. cujus neque Debitores neque Creditores, ut jam dictum eſt, hic deſcripti ſunt. Cur autem hoc Theorema commune eſſe in Dominiotum Apologiſtica putem, cap. 8. declarabitur.

Quandoquidem nemo in anni principio, ſed quinque aut ſex menſibus poſt decimas vendit aut redimit, & redemptores & redemptionis precia ignorantur, ideo ineunte anno cum aliis tebus perfectè in Diatū referri nō poſſunt. Ideoq; ſoli tiuli ſine redemptotibus aut redemptionis pretiis in albâ & ſcripturę vacuâ chartâ ſcribuntur, quæ ſpacia tamen poſtea ſuo tempore, quando innotuerint explebuntur, quomodo & in partibus aliis, quando defectus aliquis eſt, faciendum erit.

Duabus partibus majoribus ſummæ τȣ̃ debet atque τȣ̃ credit in Diario ſctiptis, quod in cujusq́ue anni principio conſequenter & otdine fieri poteſt, magna pars Diarii iſtius anni confecta fuerit, deinde enim pars tertia ſequitur, in qua non ſecus quam negotiationibus, omnia miſtim, ut incidunt, ſcribi ſolent. Cujuſmodi, præter alia extraotdinaria contingentia, ſunt de acceptis & expenſis ſuperiorum debitorum creditorumq́ue, quæ à Quæſtotibus in menſtruali faculiatum æſtimationæ ad Apologiſtam quotmenſibus tranſmittuntur.

Quia verò nummi aliquanto citius Quęſtori adnumerantur, quam ad Apologiſtam menſtrualis æſtimatio perfertur, ejuſmodi partibus ſive nominibus in Diario ſcriptis diem priori loco ſcriptum ſequenti recentiorem eſſe conſeqnēs eſt. Vt, exemplum eſto, menſtualis æſtimatio, quæ ſequenti Dario ad Apologiſtæ manus pervenit 8 Februarii, tribus ſummis à Quæſtore 2, 10, 12 Ianuarii accepta, parteſq́ue duæ 12 & 14 Ianuarii ſolutæ ſunt, quod ordini in Diario requiſiio in ſpeciem repugnare videtur. Verum diſctiminis causâ menſis diei, quo æſtimationem apologiſta accepit, majoribus literis, menſes autem dierum quibus pecuniæ ſolutæ ſunt minoribus ſcribendæ ſunt, ut in paradigmate videre licet.

IN ſequentibus ſermo nobis aliquãdo erit de ratiocinii Italici cum Coactorum, Theſaurariorum & Diſpenſatorum ratiocinils ad ratiocinariorum pluteum examinatis, concluſis, & approbatis, ideo iſtud pluteale ratiocinium ad Italici ratiocinii diſcrimen deinceps nobis appellabitur, quo intellecto ad rem ipſam pergo.

Quandoquidem libri, qui ad Dominiorum apologiſmum pertinent, quotannis innovari ſolent, erit fortaſſe qui nullam facultatum æſtimationem ſine epilogiſtica concluſione conſtare poſſe ſuſpicabitur, ſed alias ob cauſas contrarium evenit, & quidem iſtas: poſtquam, ut dictum eſt, iſti libri quotannis renovantur ut quomodo cum Coactorum Quæſtorumq́ue epilogiſticâ concluſione ad pluteum factâ conveniant examinetur, & quidem præterea quod ſub anni finem multa nondum expedita nomina reliqua ſunt, quorum ſolutionis dies ut plurimum in extremum anni incidit, quibus ad ſummam ſive ſortem ſequentis anni referendis multa ſcriptione opus eſſet: epilogiſticam concluſionem non ante finem ſequentis anni facere, ex re fore judicavimus, quæ enim tunc ſupererunt, admodum pauca erunt, neque multa ſcriptione egebunt ut in libros ſequentis anni transferantur. atque ſic continuè omnia in gemino acceptorum expenſorumq́; Codice, & in unoquoq; quæ ſua erunt ſcribenda ſunt. Cum itaque iſtæ cauſæ ſint cur libri quotannis non concludantur, æſtimatio facultatum eſſe poteſt ſine epilogiſticâ concluſione, quemadmodum 9 capite in Negotiatorum apologiſtica exemplo declaratum eſt, & nihilo tamen minus inde conjici & cognoſci poteſt, quomodo Poſitorum concluſiones Quæſtorum, ſi re ipſa concluſa eſſent, cum plutealis ratiocinii concluſionibus, nec non ſummæ & ſortis concluſio Theſaurarii cum generalis platealis ratiocinii concluſione conveniat atque congruat. Præterea quanta ſummæ acceſſio, item deceſſio eo anno facta ſit, hinc manifeſtum fit. Vt eodem illo anno labentis quidem æſtimatio, ante autem exacti Concluſio epilogiſtica fiat (præter primum annum, quem nullus antecedit) & ſic reliqua nomina ad ſummam ſequentis annumerari ſolent.

Antequam vero liber concluderetur, quæcunque erunt * apochæ & acceptilationes apologiſtæ reddentur, ut illarum dies cum menſtrualis æſtimationis diebus conferantur, diſſimilitudo autem & diſcrepantia inæqualior inventa, & in margine ad nomen ſuum annotata ante ratiocinii concluſionem Quæſtori exhibebitur, ut admoneatur in poſterum à ſimili commiſſo ſibi caveat, ſecus mulctam in inſtrumento præfinitam ab illo ſolvendam. hujuſmodi autem diſcrepantię ſive error, ſive delictum in pecunia accepta Viatoris opera innoteſcit, qui ubi dies ſolutioni præfinitus illuxit, ad actionem exequendam emittitur.

* *vulgò Quitantias vocant.*

Eſt tamen quando Concluſiones particularium Quæſtorum ad Apologiſtæ normam deſcriptæ, à concluſione plutealis ratiocinii diffideant, & quidem duplici de cauſa. Prima, quod nomina aliquando in pluteali ratiocinio ſunt expuncta & mutata; ſecunda, quod in pluteali ratiocinio ordinaria accepta plene & quemadmodum conventum eſt, ſemper collocantur, cum apologiſtica norma non aliter quam geſta & accepta ſunt, ſcribat. Ad æquandum iſtas concluſiones,

ſiones, vel ſaltem cauſas convenientes addendum, hæc notanda veniunt. Si non alia ſit inæqualitas & diſcrepantia quam è nominibus expunctis & mutatis nata, Apologiſta omnes, quęcunque & in τῷ Debet, & τῷ Credit diſcrepantię ſunt, in unam chartam Menſtrualis ęſtimationis formulâ colligit, iisq́; hoc modo collectis primum in Diarium, hinc in acceptorum expenſorumq́ue Codicem relatis epilogiſticam illius concluſionem cum pluteali ratiocinio undequaque convenire, neceſſe eſt. Si vero ad primam etiam ſecunda inęqualitas (pono) 200 ℒ accederet, quod ordinaria acceptio in pluteali ratiocinio plene ſcripta ſit, cum forma apologiſtica ea tantum habeat quę re vera ſoluta & accepta ſunt, tantundem quoque diſcriminis inter utriuſque ratiocinium erit. Vt vero diſcriminis hujus, quemadmodum par eſt, memoria exſtet, omniaq́ue ſine errore congruere indicium fiat, Apologiſtæ concluſio erit hujuſmodi.

Nota inter hanc apologiſticā cōcluſionem & plutealem diſcrimen 1000 ℒ eſſe, quod (ut ex Diarii apographa & inventario anni 1607 conſtare poteſt) reliqua & nondum expedita hujus Quæſturæ nomina tantam ſummam conficiant, quę in pluteali ratiocinio tanquam plene ſatis facta eſſet, putantur, hic vero quantum illius ſolutū & ſatisfactū eſt.

Cur autem ad differentiam epilogiſticarum concluſionum, quam particulares Quæſtores conficiunt, accuratè attendatur, cauſa eſt, quod Ærarii tribuni ſive Quæſtoris, ut vocant, generalis, officium ſit à particularibus coactoribus pecunias ratiocinio pluteali convenienter, non tantum quas acceperunt, ſed prꝛterea etiam, ſecundum inſtrumenti ſui tenorem, accepiſſe debent, exigere; Apologiſtarum verò epilogiſmus eò tantum tendit, ut à Quæſtoribus illæ ſolummodo pecuniæ exigantur, quas penes illos ſub clavibus eſſe menſtruales æſtimationes arguunt.

Hucuſque de particularium Quæſtorum concluſionibus: Epilogiſticæ autem concluſionis Tribuni in expunctis mutatisq́ue nominibus æquatio conſimilis planè illis eſt, quæ paulò ante de particularibus Quæſtoribus dicta ſunt. Si vero huc accederet inæqualitas acceptorum in pluteali ratiocinio juxta contractus tenorem integrè putatorum, quæ in Apologiſticā formâ non aliter, quam re vera accepta ſunt, & ſoluta ſcribuntur (ſit exempli gratia 10000 ℒ) tantundem Apologiſtæ concluſio à pluteali aberit, ut vero diſcriminis hujus, ut par eſt, memoria exſtet, & nemini non, apprimè inter ſe congruere ratiocinia, conſtet, ad Apologiſtæ concluſionem memoriæ firmandæ nota, ut paulo ante in particularis Quęſtoris Concluſione factum eſt, addetur.

Cur autem tam accurata attentio fit diſcriminis ambarum Concluſionum Tribuni, cauſa eſt, quod Princeps à Tribuno ratiocinio pluteali convenienter pecunias exigere debet, non tantum quas re vera accepit, verum etiam quas, ex inſtrumenti tenore & formula accepiſſe debet. Sed apologiſtę concluſio iſto fini deſtinata eſt, ut illæ tantummodo exigantur quas ſub clavibus penes Tribunum eſſe, menſtruales æſtimationes ab illo ipſo factę arguunt.

Illius hic, quod capite 4 attigi, nullam mentionem facere non poſſum, quæ eſt hujuſmodi. In examine & æſtimatione mutationis quam ſuperiore anno ſumma Dominiorum paſſa eſt, ſummam Diſpenſationis Principis ad Epilogiſmum dictæ ſummæ Dominiorum addere memineris. Si, exempli gratia, prima major pars Diarii quæ de diſpēſationibus Principis eſt, & quidem ſummâ τῦ Debet, ſi inquam major iſta ſit, quam ſumma ſecundæ partis, id eſt τῦ Credit, iſta τῦ Debet ſubductâ, quod reliquum erit imminutam ſummam eſſe ſignifi-

ſignificabit quæ in Epilogiſtica concluſione Dominiorum fuit in acceptorum expenſorumque Codice: ſi ſecus aut potius contrarium eveniat, eandem ſummam auctam eſſe, indicium faciet.

9 CAPVT.

DE DOMINIORVM APOLOGISMO,

quæ majoris Curæ difficultatisque ſunt, quam ut ab uno aliquo adminiſtrari poſſint.

CVm ſupra ſpecimen Apologiſmi Dominiorum figuravimus, unum aliquem apologiſtam univerſorum redemptorum, Debitorum, Creditorum aliorumq́ue qui ſub uno generali vel Theſaurario vel Quæſtore ſubſunt rationibus ſufficere poſſe mente & animo concepimus. Si vero tanta Dominiorum multitudo vel magnitudo ſit, ut unus tanto oneri ferendo ſit impar, ut in magni Principis vel Monarchæ imperio fit, & tamen cognoſcendi, quis Arcarum ſtatus ubique locorum apud Quæſtores ſit, libido Principem invadat, alia erit ratio ineunda, ideoq́ue de iſta etiam paucis nobis dicendum erit. Præter Ærarii Tribunum, aliosq́ue Quęſtores qui Tribuno ſubſunt, quorum rationes in debitis & creditis unus apologiſta ſingulatim inire & ſuppurare poteſt, ſunto, exempli gratiâ, alteri viginti particulares Quæſtores, quorum ſingulariis ratiociniis par eſſe non poteſt. Hiſce ante omnia unum Theſaurarium particularem, qui & ipſe univerſali Theſaurario ſubſit, præeſſe fingo, cui ſimiliter ſuus apologiſta adjungitur, quem particularem Apologiſtam appellare liceat, ut hoc nomine ab univerſali diſcriminetur. Hic apologiſmi ſui formulam ita ad ſui particularis Theſaurarii apologiſmum accommodabit, ut illius quod à nobis paulo ſupra declaratum eſt, quam ſimillima ſit. Et præterea ad Apologiſtam univerſalem duas res quot menſibus perſcribet. Primum quidẽ quidnam particularis Theſaurarius ad univerſalem iſto menſe miſerit, vel per attributas pecunias, quas * aſſignationes vulgò vocãt, ſolvi curaverit. Deinde reliqui ſummam, quam vel plus accepit quam expendit, vel expendit amplius quam accepit, ſuppreſſis nominibus, unde ſumma iſta exſtitit. quæ ex particularium Apologiſtarum libris nota eſſe facile poſſunt. Iſta univerſalis Apologiſta in Diario inſcribet, indeq; in acceptorum expenſorumq́ue Codicem, ut æquum & par eſt, referet. ut autem exemplo res clarior evadat particularis Quæſturæ Toparchia Stierlandia indigitata eſto, ejusq́ue Theſaurarius particularis Fridericus Martinius qui 12 Februarii menſis anni 1606 ad Theſaurarium univerſalem 600 ℒ 0 ß 0 ₰ miſit, eodemq; menſe præter dictam ſummam 1000 ℒ amplius accepit, quam expendit, quibus 600 ℒ non connumerantur. hiſce à particulari Theſaurario ad univerſalem 5 Martii anno 1606 perſcriptis, & ab iſto 10 Martii anno 1606 acceptis. univerſalis Theſaur. ad librum Diarium referet, & quidem duplici via, quarum prior iſta eſt.

** Quæ nunc aſſignationes vulgo appellantur, veteres attributiones, & attributas pecunias dixiſſe volunt ex Cicerone, & in illû Aſconio.*

10 Martii caſſa cujus Caſſarius N Theſaurarius univerſalis debet per Federicũ Martini Theſaurariũ Stierlandię 600 ℒ, quas dictus Federicus perſolvit Theſaurario N die 12 Februarii 1606, ex annotatis apologiſtæ N ad diem 5 Martii 1606, quæ 10 Martii 1606 ad manus meas allata ſunt, fit 600 ℒ 0 ß 0 ₰.

10 Mar-

10 Martii Federicus Martini Theſaurarius Stierlandiæ *debet per* ſortem 1000 ℔ 0 ß 0 ₰, quas idem Federicus Februario menſe 1606 amplius accepit quam expendit, ut tamen huc non accenſeantur ſupraſcriptę 600 ℔, quas Theſaurario univerſali perſolvit, prout ab apologiſta ſuo N annotatum eſt ad diem 5 Martii, atque ad me relatũ ad diem 10 Martii, 1606, fit 1000 ℔ 0 ß 0 ₰.

Atque hujuſmodi nomina quotannis duodena incidunt, quæ in acceptorum expenſorúmque Codicem relata ſparſim ſejunctimque quaſi diſſeminata ſtabunt. Verumenimvero quoniam aptius commodiúſque eſt puros putos anniverſarios Stierlandiæ reditus & proventus uno nomine unaque parte ſcribi, etiam illâ viâ inſiſtere licebit, quæ ſupra in Impenſis, aliiſque partibus ſortem augentibus minuentibúſque (quarum ſumma è ſuis *poſitis* quando epilogiſmus concluditur, in ſortis *poſitum* transfertur) indicata fuit quæ peculiare Stierlandiæ *poſitum* efficient. Pro jam dictâ formulâ etiam hanc uſurpare licet, quando aliquid ad Diarium eſt referendum.

10 Martii Caſſa cujus Caſſarius N Theſaurarius univerſalis debet per Federicum Martinum Theſaurarium Stierlandiæ 600 ℔, quas idem Federicus perſolvit Theſaurario N 12 Februarii 1606, prout ab apologiſta ſuo N ad diem 5 Martii annotatum, & ad me 10 Martii 1606 relatum eſt, fit 600 ℔ 0 ß 0 ₰.

---

10 Martii Federicus Martinus Theſaurarius Stierlandię debet per Stierlandiam 1000 ℔ 0 ß 0 ₰, quas idem Federicus menſe Februario 1606 amplius accepit, quam expendit, ut tamen his non annumerentur ſupraſcriptæ 600 ℔ quas Theſaurario univerſali perſolvit, prout ab apologiſta ſuo N ad diem 5 Martii annotatum, & ad me 10 Martii 1606 relatum eſt, fit 1000 ℔ 0 ß 0 ₰.

Atque Stierlandiâ hoc pacto ſuum *poſitum* habente, ejúſque concluſione, epilogiſmi tempore, ad ſortem ſuam tralatâ, purus putúſque Stierlandiæ proventus ac reditus ſuis partibus habebitur, quales ſunt ſumptus in familiam alendam impenſi, aliaque conſimilia.

His ita poſitis, univerſalis apologiſta pro aliquot centenis, qui uni Theſaurario ſubſunt, unum ſolummodo *poſitum* habebit, & tamen nihilo minus quis Arcæ ſtatus ac ratio ſit percognitum erit, non tantum particularis Theſaurarii, verum etiam omnium ſub illo Quæſtorum.

Cur autem 600 ℔ iſtæ de 1000 ℔ 0 ß 0 ₰ non ſint ſubductæ, & cur Fridericus Martinius unâ in parte ſcriptum non ſit in menſe Februario 400 ℔ amplius accepiſſe quam expendiſſe, cauſa eſt, ut Apologiſta univerſalis, quæ ratio Arcæ Theſaurarii univerſalis ſit, neſciat.

Illud etiam memoria non indignum. dictas 600 ℔ (ſi verè & proprie loqui volumus) non ex particularis Theſaurarii menſtruali æſtimatione, ut paulo ante factum eſt, ſed univerſalis, in Diariũ referri debere, cauſam vero cap. 5. Apologiſtæ Dominiorum retulimus, ſic enim evidentior majórque certitudo erit, ſi Vniverſalis Theſaurarii, de partis illius veritate, teſtimonium accedat. Verum illud breviter hic retulimus, ut exemplar tantummodo eſſet.

Sin Vniverſalis Theſaurarius particulari pecunias accipere vel expendere attribuiſſet

tribuiſſet vel aſſignaſſet, quæ ex reditibus Srierlandiæ non ſunt, ut contingere aliquando poteſt, illæ in acceptorum Stierlandiæ ratiocinio annumerari minimè debere. ſic enim iſta pecunia Stierlandiæ ſortis vel ſumma propria, ideóque etiam major aut minor juſtâ videri poſſet, & propterea illius peculiare ratiocinium inſtitui, & ad Vniverſalem Theſaurarium perſcribi deberet.

Huc uſque de viginti Quæſtoribus uni particulari Theſaurario ſubditis dictum eſt, quorũ ratiociniis Vniverſalis Apologiſta ſufficere non poteſt. Si verò particularem Theſaurarium nullum haberent, ſed tantummodo Vniverſali illi ſubditi eſſent, particularis Apologiſta cum Quæſtorum ſingulis ſic agere poſſet, quemadmodum cum particulari Theſaurario illum agere debere ſupra diximus, hoc eſt, unoquoque menſe ad Vniverſalem Apologiſtam, quanto plus Quæſtorum quilibet, ſecundum menſtrualis æſtimationis tenorem, illo menſe plus accepiſſet quam expendiſſet, perſcriberet. Atq; hoc modo aliquanto plus negotii quam prius ad generalem Apologiſtam redundaret, nam pro uno viginti *poſita* eſſent. atque ſic magnam *poſitorum* in debitis & creditis multitudinem, quæ viginti illis Quæſtoribus negotium faceſſunt, quorum notitia penes Apologiſtas particulares eſſet, declinaret atque exiret.

Si vero Dominiorum adminiſtratio adeo longè lateque ſe diffunderet, ut pro viginti illis Quæſtoribus, totidem particulares Theſaurarii eſſe deberent, eorúmque ſinguli aliquot Quæſtorum multitudini præeſſent, ſingulis Theſaurariis ſinguli apologiſtæ adjungi poſſent, atque iſto pacto Vniverſalis Apologiſta viginti poſita amplius tantum haberet, totidẽ ſcilicet quot viginti illi Quæſtores, & ſic omnium Arcarum conditio atque æſtimatio percognitæ eſſent atque perſpectę, quilibet enim Apologiſta ſuæ Arcę curam gereret, ejuſque rationem reddere expeditè poſſet.

Singulis Theſaurariis quidem ſuum Apologiſtam adjungendum παραδειγματικῶς monuimus, cum nemo tamen neſciat, unum aliquem tot minutioribus Theſauriis operam communem eſſe licere, quot operam ſuam præbere & locare poteſt.

Quando nos Antwerpiæ degeremus ut quatuor anni menſes Februarius nimirum, Majus, Auguſtus, & November, ſolutionis menſes dicerentur, cõſuetudine receptus mos erat, ſolutioni enim debitorum deſtinati erant, unde ſolutiones Februariæ, ſolutiones Maiæ, &c. nomina ſortitæ ſunt, Mercatores porro, quotquot debitionum negotiationumque ſuarũ ſolutionibus hoſce menſes deſtinabant, Apologiſtas ſuos ſingulis trimeſtribus Debitorum Creditorumque, quæ in illa incidebant, comparationem æſtimationemque facere volebant, ut ſic Arcæ ſuæ rationes & facultates cognitas haberent, atque ſecundum illas in emendo vendendoque merces, item in accipiendo ponendoque fœnori pecunias & actiones ſuas dirigerent, ut ſuarum debitionũ ſolutionibus pecuniarum inopia ne deeſſent, aut nimia illarum copia ſine fructu Arca abundaret. Si autem Monarcham, cui ſub univerſali multi particulares Apologiſtæ ſunt, in ſingula trimeſtria Ærarii ſui, tanquam Arcæ, facultates atque pecunias cognoſcere libido inceſſeret, ſingulis particularium Apologiſtarum in mandatis dandum fuerit, ut ad Vniverſale Apologiſtam debitorum creditorumque comparationem ſuam, æſtimationemque trimenſtrualem mittat, qui ſi reliqui ſummam ad ſuam æſtimationem addiderit, Princeps optati votique ſui compos eſſe poterit.

In anniverſariis Codicum concluſionibus, novique principio ad ſummam vel ſortem formandam, ſingulorum debitorum creditorúmque, qui particularibus

ribus apologiſtis ſubſunt, nomina recenſere & collocare minimè fuerit neceſſe, hoc enim aggredi infiniti laboris eſt: Verum ad ſingulares Debitores Creditoréſque univerſalis Theſaurarii tantummodo adderet ſummam τῷ debet, aut τῷ credit, quam particularium Apologiſtarum ſinguli, dum novum Codicem incipiunt, reperiſſent: plenior notitia ſingularium Debitorum Creditorúmque apud quemlibet particularium apologiſtarum habetur, vel particularium Apologiſtarum ſinguli exemplar, ſive copiam (ut vocant) Diarii ſui, item acceptorum expenſorúmque Codicis totius anni ad abacum ſive menſam Generalis Apologiſtæ quotãnis mittẽt, quemadmodũ Coactores Quęſtoréſq; in pluteali ratiocinio logiſterii facere ſolent, illud enim ampliori clarioriq; demõſtrationi ſummæ reliquæ inſerviret, nec opus eſſet à particularibus Apologiſtis repetere.

Hactenus de Dominiorum Apologiſtis cum univerſali, tum particularibus: Diſpenſationem vero expenſorum, quando illius exemplar in Apologiſtica dedimus, ita conſideravimus quaſi unus quidam Vniverſalis Theſaurarius adminiſtrare illam & numerando expedire ſolus póſſet: verum ſi difficilior majoriſq; laboris ſit, quam ut univerſalis Theſaurarius cum ſuo Dominiorum Apologiſta ſufficere illi poſſit, plures Theſaurarios qui ſolutionẽ expediant cum ſuis Apologiſtis Diſpenſationi præfici neceſſe fuerit, itaque etiam de ordine, qui hic obſervandus eſt, nonnulla nobis dicenda ſunt.

Theſaurarius Vniverſalis, particulari diſpenſationis Theſaurio in ſingulos menſes tantam pecuniæ ſummam annumerat, quantam acta Principis ad ordinarias impenſas deſtinarunt, & ad menſtrualem diſpenſationem requiri experientia docuit. Quæ vero pecuniæ ad extraordinarias impenſas opus ſunt, eidem diſpenſatori Theſaurarius Principis ordinatione & mandato expendit, ita ut in illius univerſali ratiocinio nullæ diſpenſationis minutiæ particulæque ſed ſolummodo menſtrualis illa ſumma cum his extraordinariis actis ſive ordinationibus ſcribantur. Diſpenſationis Theſaurarius accepta pecunia creditoribus ſatisfaciet, debitumq́; diſſolvet, ejuſq; Apologiſta non tantum in Codice ſuo illa referet ea ratione, quam paulo poſt in Principis diſpenſatione, tanquam exemplar quod imitari debet, proponemus, ſed etiam quotmẽſibus ad univerſalem Apologiſtam iſta duo perſcribet. Primùm quantũ ab Vniverſali Theſaurario Diſpenſationis Theſaurario illo menſe annumeratũ ſit: Deinde quantum annumeratæ pecuniæ expenſum ſit, diſpenſationis minutiis & particulis, unde ſumma exiſtit, nõ expreſſis nominatim, illarũ enim, in Vniverſalis Apologiſtæ Codicibus, uſus nullus eſt, præſertim, cum ex particularis Apologiſtæ libris notę eſſe poſſint. Quæ jam dicta nobis ſunt, Vniverſalis Apologiſta primum in Diarium, hinc in acceptorum expenſorúmque Codicem cõvenienter referet.

Vt autem res iſta exemplo fiat clarior, quinque diſpenſationum Cubiculariæ, Culinariæ, Stabulariæ, Venatoriæ, aucupatoriæ Theſaurarium eſſe Gerardum Wauterzonium ponamus, eumque 7 Febr. anno 1606 à Theſaurario univerſali 1200 ℒ accepiſſe, verum in univerſum 11800 ℒ expendiſſe. Apologiſta Diſpenſationum hæc ad Vniverſalem Apologiſtam 2 Martii anno 1606 miſſa, & ab iſto 5 Martii anno 1606 accepta, hoc pacto in Diario ſcribet.

5 Martii Gerardus Gualterus Theſaurarius quinque diſpenſationũ, Cubiculi Principis, Culinæ, Stabuli, Venationis ſeu κυνηγεσίας, & aucupii, *debet per* caſſam cujus Caſſarius N Theſaurarius univerſalis 12000 ℒ, quas dictus Gerardus à Theſaurario N ad diẽ 7 Febr. 1606 accepit, prout ab N apologiſta ſuo annotatũ, & ad me 5 Martii 1606 relatũ eſt, fit 12000 ℒ 0 ß 0 ₰.

5 Mar-

5 Martii diverſæ pattes *debet per* Gerardum Gualteri Theſaurarium quinque diſpenſationum, videlicet Cubiculi Principis, Culinæ, Equilis, Venationis *κυνηγεσίας*, & aucupii, 11800 ℔, quas dictus Gerardus mẽſe Februario anno 1606 expendit, prout ab N apologiſta ſuo ad diem 2 Martii 1606 annotatum, & ad me 5 Martii 1606 relatum eſt, ut ſequitur.

Expenſæ in Cubiculum Principis	- - -	3000 ℔ 0 ß 0 ₰
Expenſæ in Culinam	- - - - - -	4000 ℔ 0 ß 0 ₰
Expenſæ in Equile	- - - - -	3000 ℔ 0 ß 0 ₰
Expenſæ in Venationem *κυνηγεσίαν*	- - -	1000 ℔ 0 ß 0 ₰
Expenſæ in Aucupium	- - - -	800 ℔ 0 ß 0 ₰
	Summa - -	11800 ℔ 0 ß 0 ₰

Hiſce partibus Apologiſticæ congruenter convenienterque in acceptorum expenſorumque Codicem relatis, ſuum & verum cuique & τὸ debet, & τὸ credit erit.

Quæ hîc de ordine modoque quinque diſpenſationum deque illarũ Theſaurario & Apologiſta diximus, conſimiliter de omnium omninò rerum, ut Logiſterii, Horti, &c. eorumque Theſaurario & Apologiſta intelligenda ſunt.

His dictis etiam alias quaſdam diſpenſationes ſubnectere, & perſequi poſſemus, ut paulò ante hoc ipſo capite poſt duas partes reditus ac proventus Dominiorum, quibus Fredericus Martinius tanquã Theſaurarius præerat, factum eſt. Verum quoniam inde tanquam exemplo omnia ſatis nota eſſe poſſint, ſuperſedendum duximus.

10 CAPUT.

MAGISNE CONDUCAT ET EX RE ſit, *Quæſtorem ratiocinia ſua veteri & uſitato modo, quemadmodum ad Rationariorum pluteum fieri ſolet, conficere & concludere, an verò iſto Apologiſtico ſtylo, & Italorum imitatione.*

QVandoquidem Principis Apologiſticam, ad Italorum imitationem informatam, commodam & utilem judicaremus, ILLVSTRISSIMUS meus PRINCEPS quæſtionem nobis propoſuit, anne Quæſtores periti majore cum accuratione & commoditate ad illius formulam rationem inire, & reddere principibus poſſent. Ad iſtam mihi rem non paulo attentioti, pluteale mratiocinandi formulam in audiendo, examinando, reſpondendo, difficultates objectas decidendo, ſolutiones teſtificando, & concludendo, utile, artificioſum, & laudabile opus eſſe in mentem veniebat, ad quod homines, non niſi longo uſu & aſſidua experientia docti & deducti acceſſerunt, adeoque felicem admodum & admirabilem rem eſſe, tam multos in Terrarum orbe, qui ad cõmunem illam maximeque naturalem regulam ſeſe applicaſſent, reperiri. Hæc dum mecum cogitarem, tandem nihil admodum utile effectum iri ſi ratiocinii ordinem inverterem, ſuſpicari quidem cœpi, tamen quomodo pluteaIis illa ratiocinatio ad Italicam traduci poſſet, ut viderem, ad circumſtantias illarum meditan-

ditandum me contuli, eoque res perducta eſt, ut concluderem, quod non nulli aſſenſu ſuo fortaſſe probabunt, conſuetæ rationis & ad pluteum rationariorum factæ formulam (ut ſummatim dicam) convenienter Italorum Apologiſticæ conformatam abſq; mutatione retinendam eſſe. Etſi enim hujus opinionis aliquis fortaſſe ſit, ut diurna acta * expendĕtis (ut ſic Italorũ mori cõgruat) in Diario ſcribi eorumq; partes in acceptorum expenſorumq; Codicem ad ſuum τὸ Debet & τὸ Credit referri debere putet: ego tamen ſic fieri oportere negans rationem ad rationariorũ pluteum redditam pro Arcę Codice eſſe dico, (cujus Arcarius ſit * is qui expendit) Arcæq; Codicem in ipſa Italorum Apologiſtica, neque ſic deſcribi, neque ſic deſcribi, neque ſic deſcribi oportere, cujus rei cauſam jam declarabo. Acceperit Arcarius à Petro quidem 300 ℒ à Ioanne verò 500 ℒ in ſolutionem autem dederit Nicolao 600 ℒ, Iacobo 200 ℒ, ſi iſta acceptionisque expenſionisque acta quæ pro Dominio ſuo ſuſcepit ſecundum Italorum Apologiſticam in Codicem referre vellet, ante omnia in Diario illa ſcriberet, ut ſequitur.

* rendant.

* le rendant.

DIARIVM.

Caſſa debet per Dominum, quia ejus nomine à Petro accepi - -	300 ℒ
Caſſa debet per Dominum, quia ejus nomine accepi ab Ioanne -	500 ℒ
Dominus debet per Caſſam, quia ejus nomine perſolvi Nicolao -	600 ℒ
Dominus debet per Caſſam, quia ejus nomine perſolvi Iacobo -	200 ℒ

Diarii ſuprascriptæ partes in accepti expenſique codicem tranſcriptæ, digerentur hoc modo:

ACCEPTI EXPENSIQVE CODEX.

Caſſa debet.		Caſſa credit.	
Per Dominum, quia ejus nomine acceperim à Petro - - - -	300 ℒ	*Per Dominum, quia ejus nomine perſolverim Nicolao* - - -	600 ℒ
Per Dominum, quia ejus nomine acceperim ab Ioanne - - - -	500 ℒ	*Per Dominum, quia eius nomine perſolverim Iacobo* - - -	200 ℒ

Dominus debet.		Dominus credit.	
Per Caſſam, quia eius nomine perſolvi Nicolao - - - -	600 ℒ	*Per Caſſam, quia eius nomine acceperim à Petro* - - -	300 ℒ
Per Caſſam, quia eius nomine perſolvi Iacobo - - -	200 ℒ	*Per Caſſam, quia eius nomine acceperim ab Ioanne* - - - -	500 ℒ

Atque hoc pacto ex formula Apologiſticæ Italorum & Arca & Dominus ſinguli ſua haberent poſita, unde Arcarius, quomodo utriuſque res ſeſe haberent, cognoſcere poſſet. Cognito autem in Arce poſito, in neminem aliũ neq; τὸ debet, neque τὸ credit cadere poſſe, quam in Dominum, nomen ſui Domini perpetuo addere non neceſſarium eſſe judicat, & propterea in Arcæ Codice

nomen Domini omittit ac negligit, & ſub titulo Area Debet, ſtatim ſubjicit breviter per Petrum, per Ioannem: ſubque titulo Area Credit, ſimiliter per Nicolaum, per Iacobum. Deinde quia partes Poſitorum Domini, etiam in Arcę poſita incidunt, nimirũ hujus τὸ debet, illius τὸ credit, Domini quoque poſita per illa Arcæ ſunt nota, adeo ut Arcæ ratiocinium quam breviſſimum faciat, ut hic ſequitur.

Caſſa debet.		Caſſa credit.	
Per Petrum - - - -	300 £	*Per Nicolaum* - - -	600 £
Per Ioannem - - - -	500 £	*Per Iacobum* - - -	200 £

Iſtiuſmodi brevitas in omnibus aliis ratiociniis eſt, quæ ſimiliter Arcæ ſimplex & unum tantum habent poſitum, ubi verò multiplicia & varia ſunt, alia erit ratio.

Ex his itaque manifeſtè elucet cauſa, cur Mercatoris Arcarius acceptorum expenſorumque Diario aut Codice in Apologiſtica Italos imitata non utatur, & cur in Arcario ſuo Codice primum accepta, hinc expenſa tantummodo colloeet, ſecutus tamen ipſo omnia, quæ ab Italorum Apologiſtica requiruntur. Et quoniam, ut jam explicavimus, Quæſtor eſt Arcarius, ratiocinium vero Arcarii Codex, hinc concluſionem fieri ſequitur. Diſparilitas vero ac diſſimilitudo quæ inter duos Codices exiſtere poteſt, quemadmodum objiciunt, ejuſmodi eſt. Primum Mercatoris Arcarius perpetuo alteram paginam ſui Codicis τῷ debet, reliquam τῷ credit deſtinat, Quæſtor vero continenter accepta ſua aliquot paginis continuat ad ultimum uſque, huic expenſa ſimili continuatione ſubjicit. Hinc Arcarius nomina & partes eo ordine ac ſerie collocat, quo fortuito occurrunt quotidie. Quæſtor à fortuita cõſecutione & ordine liber, ejuſdem generis nomina collecta in varios titulos ac capita diſpartitur, præterea, ſecus quam Arcarius, Ordinariorum aut acceptorum aut expenſorum, quandocunque accidunt, tempus aut diem nõ adſcribit, illud enim fieri nequit, quandoquidem, ut in actis ipſius eſt, integrorum nominum non diſpartitorum ratio illi reddenda eſt, quæ plerunq; aut partes accepit, aut per partes expendit. Nihil tamen in re ipſa diſſimilitudinis eſt, quo minus Quæſtoris ratiocinium Arcarii Codex dicatur.

Sed occurritur nobis. Quæſtoris ratiocinium quod hactenus Principum Apologiſtica fuit, mutatione opus habere negas, & tamen illa mutare & in meliorem rationem Italis uſurpatam transformare propoſitum tibi fuiſſe, dicis, quomodo nam illa inter ſe conciliari poſſint non video. Sed Quæſtoris ratiocinium Principis Apologiſticam impropriè appellari reſpondemus, quia debitorum creditorumque ſtatus incognitus ſit, & ob cauſas jam dictas tantummodo Arcarius Codicem eſſe legitima methodo deſcriptũ, ad quem Diarii, item acceptorum expenſorumque Codicis Apologiſticam Italorum calculum imitatam, & huc uſque deſideratam, nunc demum adjungimus, quod vel hinc manifeſtum eſt, quia præter Theſaurarii ratiocinium nullus Arcarius Codex hic eſt.

Hactenus quidem Quęſtoribus uſitatam rationem bene & commode informatam eſſe diximus, neſcio tamen quid inordinati & incompoſiti aliquando hic eveniat, quod per Apologiſticam in ordinem commodè adduci poteſt, ut exempli gratia, Debitoribus qui Quæſtori nondum ſatis fecerunt, debiti in duas, tres, aut etiam plures portiones partiti partes ſingulas ſingulis annis diſſolvere aliquando concedi, unde fit, ut hujuſmodi debiti ſic partiri negligentes,

ſæpe integra nomina non ſemel & una vi:e ſed minutatim diſſolvant, ad quam rem Rationariis Auditoribus præter ordinem & inſtitutum Dominiorum attendendum eſt, ex quorum tenore Quæſtores pro integris debitis reſpondere & ſolvere tenentur, itaque memoriam, hujus ab uno ad aliud ratiocinium perpetuo debitionis ſolutionisq́ue examine continuari neceſſe eſt, quod ubi ſæpiuſculè evenit moleſtiam, obſcuritatem & curam non minimam adfert, quæ omnia Italorum Apologiſtica ut dictum eſt, tolluntur, ab ea enim magna lux & claritas rationibus eſt, neque enim in Arcario Codice ſed ſuo & convenienti loco hujus mentio fit.

Et hoc nota dignum eſt. Quamvis Quæſtores & Theſaurarii ob dictas cauſas, in ſuis ratiociniis Italorum Apologiſticâ cum Diario & acceptorum expenſorumq́ue Codice uti non conceditur, perutilia tamen illis, & pro enchiridio eſſe poſſent, ut inde quomodo res ſuæ cum Debitoribus & Creditoribus ſeſe habeant, breviter & liquidò cognoſcerent. Poſitorum enim varietas aliam rationem habet, quam unitas poſiti, quæ in Arcario libro eſt.

DISPEN-

DISPENSATIONIS
APOLOGISTICA ITALORVM
RATIONEM IMITATA.

Digitized by Google

BREVIARIVM
DISPENSATIONIS PRINCIPIS.

DEſcripta hactenus Apologiſtica pecuniarum è Dominiis provenientium, à coactoribus collectarum, & ab iiſdem ad Ærarii Tribunum ſive Quæſtorem generalem tranſmiſſarum, qui illas primum in acceptorum, hinc in expenſorum rationem refert, & quidem tantis ſummis, quantas, ut diſpenſationibus Creditoribus ſatisfacerent, inter illos erogavit, ita tamen ut illarum minutiæ, & à raticinio, ad ratiocinariorum pluteum facto, & ab Apologiſtica Italorum calculum imitata, excludantur: ſupereſt ut diſpenſationum Apologiſticam ſeorſum deſcribamus, & quidem iſti fini, ut Negotiationum Apologiſticæ Italicum morem edocti, iſtius autem inexperti, cupidi tamen exercere, aliquam notitiam rerum huic arti, ſubjectarum conſequi, & quod exigit ars, commodè præſtare poſſint. Quia vero in aulicâ adminiſtratione ac diſpenſatione occupatur, Principalis diſpenſatio à nobis appellabitur, ut ita ab aliis diſpenſandi ſpeciebus diſterminetur, cujus per ſua capita ac titulos deſcriptæ, tale breviarium ſive argumentum eſt.

I. *Principalis diſpenſationis proprietates generatim habet, nec non diverſas illius ſpecies.*

II. *De Ordinariis officiis ſive officiariis eſt, qui ad diſpenſationem bene informatam requiruntur.*

III. *De ordine rerum quæ ad rationem diſpenſationis communiter attinent.*

IV. *De Culinariæ diſpenſationis Apologiſticâ, & primum de computabilibus & incomputabilibus bonis.*

V. *Quo pacto Culinariæ diſpenſationis partes & nomina in Diario & acceptorum expenſorumque Codice ponenda ſunt.*

VI. *De computabilium diſtributione in Culinaria diſtributione.*

VII. *De Apologiſtica diſpenſationum Stabulariæ, Venatoriæ, Cubiculariæ, Logiſterii, ædificationis, & ſatellitii.*

VIII. *Commemoratio ordinis in ſolvendo ſtipendia.*

I CAPUT.

DISPENSATIONIS PRINCIPALIS

proprietates generaliter habet, nec non varias illius ſpecies.

PEcuniarum Principis diſpenſatio & Dominiorum proventus ſive reditus magnam inter ſe affinitatem habent. ut enim iſti à populo & civitate ad Coactores, huic ad Quæſtores particulares, ab his ad magis univerſales, numero pauciores, denique ſi magnum aliquod regnum & Monarchia eſt ad ſupremum Quæſtorem vel nniverſalem Theſaurarium & Ærarii Tribunum adſcendunt: ſic illæ vice verſa primum ab Ærarii Tribuno, ad particulares diſpenſationum Theſaurarios, ab his porro ad mercium venditores numero plures deſcendunt, à quibus in vulgus diſparantur, tandemque iterum ad redemptores coactores revertuntur, arque hoc pacto perpetua & continua reciprocatione eunt redeuntque pecuniæ. Cum igitur magni Dominiorum proventus hoc pacto diſpenſando abſumuntur, tantoque magis aut minus, quanto majores aut minores ſumptus quotannis fiunt ac diſpenduntur, facile conjicere licet, non minus in pecuniarum Principis diſpenſatione accuratum ratiocinii ordinem requiri quam in magnis Mercatorum negotiacionibus, ut ſunt emptarum mercium acceptiones, præfiniti dies ſolutionibus, ipſæ ſolutiones, rationes, rationumque initiones ſubductioneſque tam multiplices ac variæ cum piſtoribus, Cerviſiariis, Oenopolis, Laniis, Macellariis, Lactariis, Aromatopolis, Inſtitoribus, Avenæ, Fabarum, Fœni, Straminis venditoribus, ephippiorum calcariumque fabris, & ſolearum ferrearum ſuppactoribus, & hujuſmodi aliis: Præterea quemadmodum Mercatoribus rationem, inire & cum inſtitoribus accuratè ſubducere, pernecеſſe eſt, ut quantum pecuniæ quidve mercium inſtitores, præter omnia accepta expenſaque ad extremum uſque numum penes ſe habeant certo cognoſcant: ita principibus etiam perutile eſt, ut liquidò ipſis conſtet ratio cum diſpenſationum adminiſtris, qui in negotiis Principum pecuniarum; ac computabilem mercium & commeatuum quaſi inſtitores appellari poſſunt, ut ſunt alimentorum genere panis, vinum, cerviſia, ſalſamenta, hoc eſt ſalita & fumata caro & piſcis, butyrum, caſeus, ova, aromata, candelę, ſtannea vaſa, equi, avena, fabæ, fœnum, ſtramen, canes, aves, & hujus generis alia. Et quemadmodum Mercatorum fortunæ, qui inſtitorum conſcientiæ abſque omni ratiocinio atque demonſtratione hanc curam committunt, non peſſum ire non poſſunt, idem de principibus qui idem faciunt augurari licet. Nonnullos, neſcio quæ bona conſilia & quaſi theoremata cõtra confinxiſſe verum quidem eſt, ut ſunt teſtimonia venditas merces rite eſſe traditas, debitiones ſolutas, merces fuiſſe probas, & plures aliæ curæ perutiles, cujuſmodi abunde videre licet in *Regum Franciæ* diſpenſationibus in lucem divulgatis. Sed verè noviſſimæ diſtributionis contra primum accepta (cujus certitudo adjumento Italolorum Apologiſtæ haberi poteſt) neque in Franciæ Regum, neque alibi in ullius Principis aula, quod ego equidem ſcio, cura & ratio habetur. abſque ea tamen reliqua omnia exigui admodum momenti & pretii ſunt. Quæ enim ad Principem utilitas, inde redundat, ſi proba merx, pretio tolerabili empta, ſine fraude ſoluta in oporothecas, penuaria, & horrea inferatur, ſi in ſuum uſum nõ convertatur. Præterea cogita, quo pacto Quæſtores vel Ærarii Tribunus qui-

N 4 bus

bus ſuprema cura diſponendi iſta demãdata eſt, quo pacto inquam in hanc curam ſeriò incumbere poſſent, ut etiam ad pintas & uncias animum adverterent in primis cum ſe imminutiones tonnarũ & ponderum prohibere & impedire non poſſe non neſciant, unde facile liquet, inſtituta, quæ in Principum aulis contra comparata ſunt, obſervari non poſſe: verum diſpenſationis Apologiſticæ beneficio conſtanter abſque omni hæſitatione demõſtrari poſſe, quis ille ipſe ſit, qui & damnum intulit, & quale illud ſit damnum cujus autor exſtitit. Et ad hanc difficultatem animum adverte, quæ Apologiſticæ adjumento declinari poteſt. Si Theſaurarius creditoribus pecuniam in Arcâ eſſe, ſeque de ſua ſolvere velle neget (cui nullum remedium extra Italorum Apologiſticam eſſe poteſt) pro mercibus à diſpenſatore emptis nullo modo præſenti pecunia venditoribus ſatisfieri poteſt, imò ſæpe in tantũ temporis differtur ſolutio, ut venditores, ſi de ſua ſolvere velit Theſaurarius, de ſumma debiti aliquid detrahi, aut aliunde in fœnus pecunias quęri patiantur, quarũ uſuram ipſi ſolvant, non ſine honorariis in varios homines diſpartitis, & ut Theſaurarii ſecuriore animo Principis ſui pecuniis in uſum ſuum convertant, à Creditoribus apochas, etiam pecunia non numerata, accipiunt, & ſe viciſſim reciproca obligatione & chirographo illis ut à damno tutos pręſtent, obſtringunt, neq; illud ſatis eſt, ſed ſæpe uſu venit, ut emptas merces tradere nolint, etiã illos qui hoc urgẽt ſuis fortunis invidere cenſent. Vnde emptas merces in magnum pretium cum Principis nõ exiguo diſpendio excreſcere cuilibet manifeſtum eſt. non ſine exiſtimationis imminutione tædioſaque compellatione creditorum, qui ſupplicibus libellis, gravibusque querelis, moleſtias illi adferunt, mentemque cogitationibus occupant & implent quo pacto illo ſine pecunia honeſte dimittat. Atque ſic ut ſummatim dicam reſtantes Dominiorum pecuniæ, quæ è prima velitatione, non ſine magna jactura, & amiſſis commilitionibus ſalvæ & incolumes evaſerunt, & in Arcam penetrarunt: in expendendo diſpenſandoque ſecundæ velitationis aleam priori conſimilem, magno cum Theſaurariorum dolore, quibus nihil prius eſt quam ut Ratio appetitui præſit, ſubire debent. Hæc omnia unius Apologiſticæ opera anteverti poſſunt, huic nunquam non notitia eſt quantum pecuniæ Arca in numerato habeat, & quidem tanta certitudine, ut conſtanter concludere liceat in nulla non Aula, cui ſufficit unde vivatur, & quæ Italorum Apologiſticam recepit, nullam omnino emptionem niſi præſentario argento fieri oportere, aut ſi numinaria ſit, ut aliquando ex neceſſitate evenit, præſtat minusque damnoſum eſt pecuniam * dextante uſurâ aliunde ſumi quam emptorem in centenos aureos tricenario damno à venditore mulctari. Sin Creditores eſſe neceſſe ſit, Mercatoris mores imitari licet, qui Arcarium neq; prima neque noviſſima debita pro illius arbitrio diſſolvere permittit ſed ad ſupputationis æquationem, quam ab Apologiſta accipit, accõmodare ſe jubet ſic enim antiquiſſima debita, aut etiam alia, prout commodum Principi viſum fuerit, diſſolvere licebit. De Principis diſpenſatione generaliter hactenus dicto, jam randem ad variarum ſpecierũ commemorationem tranſeundum eſt, & propterea ſic ſtatuo. Quemadmodum Mercator in ſua Apologiſtica inter ſumptus familiæ & negoriationi impenſos aliosque, quos vitę genus poſtulare videtur, diſcrimen facit: Sic etiam hic facti ſumptus pro Aulæ ratione in varias partes diſpartantur, ut ita, quotieſcunque libitum fuerit, quanti ſumptus in unoquoque diſpenſationis genere facti ſint, conſtare poſſit, & ſi quando augere vel minuere familiam & impenſas viſum fuerit, quomodo illud commodiſſime fieri poſſit cognoſcatur. Præterea ſi in unoquoque Diſpenſationis genere nihil amplius, quam

** ubi pro ſorte centum nummorum decem ejuſdem generis penduntur.*

Digitized by Google

quam quod illius proprium ſolvatur facile incommodum vitabitur, ut ne pro eadem merce duplex fiat ſolutio, ut ſuo loco fuſius dicturi ſumus. Ad hanc diſpenſationum diſtributionem tanquam nobiliſſimum exemplar, quantum me quidem videre contigit, Galliarum Regis ſeligere viſum eſt. ubi quindecim diſcrimina reperio *au Guidon des Finances à la troiſieſme partie des droicts du Domaine du Roy*. Verum enimvero quia pro voce diſpenſationis, nomina Theſaurus & Theſaurarius uſurpat nos illum ſecuti hic etiã ſic loquemur, alibi tamen diſpenſationis nomen retinebimus, eſt enim aliorum *Subiectum*, ideoq; ut mea quidem opinio fert, intelligentiæ diſcentium accommodatius. Quindecim ſpecies diſpenſationis, cujus loco ille Theſauriaũ nominat, hujuſmodi ſunt.

Theſaurarius Regiæ domus, quo nomine Palatina officia Regiæ intelliguntur, & ſtipendia illis ſoluta.

Theſaurarius Argentarius, qui ſolvit pro manupretiis, proque materia cujuſvis generis veſtium Regis, quique Regi à pedibus ſunt, Helvetiorum, proque veſtibus, aulæis, cælato argento, aliaque ſupellectili, quibus donare aliquem Regi viſum fuerit.

Theſaurarius Logiſterii unde poculentæ eſculentæque merces Regiæ Domus ſolvuntur.

Theſaurarius minorum negotiorum Cubiculi Regil, qui etiam minorum oblectamentorum Theſaurarius appellatur, id eſt pecuniarum quas pro arbitrio Rex erogari mandat, cui autem fiat fiat non additur.

Theſaurarius Stabuli.
Theſaurarius Venationis.
Theſaurarius Ordinis Regii.
Theſaurarius conſtitutus à ſancti Sacelli Dominis.
Theſaurarius ſacrificiorum & Eleemoſynarum Regis.
Theſaurarius fœderis cum Helvetiis initi.
Theſaurarius Helvetiorum ſatellitii nimirum Regii.
Theſaurarius centum Nobilum Regis.
Theſaurarius ſatellitii Regis.
Theſaurarius militum in regni finibus Præſidiariorum.
Theſaurarius ædilis.

Huc uſque de diſpenſationis & Theſaurariorum ſpeciebus diximus, in Galliarum Regis œconomia uſitatis. Verum quarum nos exempla damus ſunt hujuſmodi.

Diſpenſatio Culinaria.
Diſpenſatio Stabularia.
Diſpenſatio Aucupatoria.
Diſpenſatio Cubicularia Principis.
Diſpenſatio Logiſterii.
Diſpenſatio Ædilis.
Diſpenſatio in Satellites.

Nota diſpenſationem Logiſterii, quam nos tanquam ſpeciem in generalibus Principis diſpenſationibus recenſuimus, inter quindecim illas Regię aulæ non enumerari, ſed ab Autore *du Guidon*, ne ordo interrumperetur, in quarta parte *des droicts du Domaine* tractari.

Dicto hactenus de communibus diſpenſationis Principum proprietatibus, ad extremum querelarum ac difficultatum commonefaciam quæ in introducenda hac Apologiſtica, maximè ab illis qui diſpendium hic facient, exſpectãdæ ſunt,

dæ ſunt, à quibus ut præcaveant ſibi Principes, univerſis, quicunq; reluctabuntur, ſeque Apologiſticam hujuſmodi probare non poſſe clamitabunt, quemadmodum in Dominiis ſic etiam Diſpenſationibus reſponderi curabunt. Sua quiſque ut agat, quemadmodum antea, hanc autem rem novam eſſe & ſingularem, quæ illorum nihil referat. Omnia porro ita dirigenda & comparanda ſunt, ut felicem eventum res ſortiatur.

2 CAPUT.

DE ORDINARIIS OFFICIIS,

ſive officiariis, qui ad Diſpenſationem bene informatam requiruntur.

DIcto de variis generibus Principalis diſpenſationis, nunc iſto ſecundo, & deinceps tertio capite, quæ communiter ad illas pertinent, & quæ ſeorſim in ſingulis intelligenda ſunt, dicemus, ne poſtea in ſingulis generibus, eadem dicendo repetere neceſſe ſit. In unoquoque genere (ut ad deſcriptionem Ordinariorum Officiorum, quæ in diſpenſationibus bene informatis requiruntur veniamus) ubi mercimoniorum emptio & mutatio incidit, Diſpenſatore opus eſt, qui illa emat, accipiat, reponat, eroget, & computet. Etſi quamvis illi qui operam curamque ſuam, in extraordinariarum Financiarum diſpenſatione ponunt ut ſunt munitiones, ſive fortificationes, Cellæ ubi poculentæ eſculentæ, aliæque merces reponuntur, Commiſſi, & Commiſſarii vulgò appellantur tamen pro vulgi vocabulo, Diſpenſationis nomine utimur. Si eſculentorum autem & poculentorũ diſpenſatio tam plena moleſtiarũ eſt, ut Diſpenſator emendo tractandóque mercimonia nimium occupatus, cuſtodiæ eorundem erogationi & diſtributioni vacare non poſſit. Cuſtos ſive curator ſocius illi, cum quo labores partiatur, additur. deinde Theſaurarius, qui nummos ad hanc rem neceſſarios accipiat, expendat, & computet, nec non Apologiſta Italicum morem edoctus, dicere gnarus, quantum pecuniæ Diſpenſationis Theſaurarius in Arca ſub clavibus habeat, etiam quæ mercimonia cujuſque generis penes Diſpenſatorem vel Cuſtodem ſive Curatorem in Cellis & oporothecis ſint, vel ad minimum viliſſimumq; genus. Præterea quomodo ratiocinia cujúſq; Debitoris Creditoriſque tam veteris quam novæ diſpenſationis ſeſe habeant. Quæ res, ut quidem vulgaris modus Financiarum eſt, non ſine difficultate & moleſtia ad finem perduci poſſe videtur. Hujus rei exemplum eſto quod *au Guidon* in diſpenſatione *de l'argenterie du Roy*, propoſitum eſt, quę eſt ſolutio nominis ante annos aliquot facti, quod tamẽ in Theſaurarii ratiocinio nondũ erat expunctũ, tum Auditor veteri ratiocinio in manus ſumpto conferet, & videbit an vetus nomen nõ expunctum ſolutioni rationis, quam examinat, quadret atque conveniat. Vnde magnam multitudinem diſſolutorum, & non diſſolutorum nominum in antiquis Codicibus permiſtam eſſe, liquere poteſt, variis partibus quæ ejuſdem Creditoris ſunt variè diſparatis, minimeque conjunctis. Quæ difficultas etiam hinc augeri videtur, quando tota nomina non in ſolidum ſive aſſem, ſed per partes, ut fit, diſſolvuntur. Hoc inquam magnæ & inexplicabilis difficultatis negotium mihi videtur, qui tamen in illo ipſo exercentur aut occupantur, norunt fortaſſe quid compendii & facilitatis, etiam extra Italorum Apologiſticam, hic habeant. Quarto etiam Antilogiſta opus eſt, qui ad omnia

omnia, quæ fiunt, & an quiſq; officiò ritè fungatur, attendat, & unumquemque delicta fraudiſque libere admoneat utpote qui iſto nomine ſtipendium meret. Quinto etiam Ephorus ſive ſuperintendens diſpenſationi præficiatur, qui veſperi quotidie, illo die expenſa diſpenſataque examinet, ſubſcribatque, cuique communis quædam cura, qualis infra dicetur, commiſſa ſit. Ephorus diſpenſationis Culinariæ Aulæ Præfectus eligitur, Stabulariæ magiſter Stabuli, Venatoriæ eſt (quemadmodum in diſpenſationibus Galliarum Regis invenio) qui Gallicè *le Grand Veneur:* Diſpenſationi Cubiculariæ in Gallia quidem Nobilium primus præficitur, alibi vero alius qui huic muneri aptiſſimus habetur. Logiſterii diſpenſationi præſes ipſe præeſſe poteſt, quamvis in aliis locis ab illo diverſus ſit Ephorus. Diſpenſationem ſatellitum & *δορυφόρων* Capitaneus ſive Centurio adminiſtrat. Munitionibus, Financiæ extraordinariæ, cellisq; & horreis Gubernator loci, ubi iſta ſunt, aut fiunt, ut plurimum præficitur. Ab ordinariis hiſce officiariis ea certitudo & ſecuritas eſt Principi, ut omnes in fraudem conſentire (huc & venditorem adde, quia nomine ſubſcripto ſyngrapham cõfirmat) neceſſe ſit, antequam damnum & detrimentum aliquod magnum dare poſſint, ſecus fraudem facienti ab altero periculum eſt, ne aut animadvertat, aut prodat, ob cauſas quæ plenius & fuſius infra dicentur. Aſt hic objici nobis poteſt, ſtipendia quæ diſpenſationum Præfectis quotannis ſolvuntur, majora ideoque damnoſiora fore, quam utiliora, verum objectioni contra ſic occuritur. Etſi quidem diſpenſationibus hoſce Præfectos ſive officiarios opus eſſe diximus, non tamen propterea ſingulas ſuos diſpenſatores, Theſaurarios, Apologiſtas, Antilogiſtas & Ephoros habere neceſſe eſt. Vnus enim Theſaurarius pro aliquot diſpenſationibus rerum creditarum ſolutiones, quantumquidem per occupationes licet, explicare poteſt. ita tamen ut ſingularum ratiocinia ſeparatim ſcribat, & cum cæteris officiariis eadem plane ratio eſt. atque ſic non tantum ſumptibus parcetur paucitate ſtipendiorum, verum etiam per unum aliquem, ſi quidem ſolus, ferendo labori par eſſe poteſt, commodius expedietur, quam per multos quorum ſingulis exiguus ſit labor, præſtatque uni alicui pro magno labore magnum numerari ſtipendium. quo fœlix ſibi & beatus videri poſſit, quam in multos pro exiguo labore exigua impendere ſtipẽdia, qui tanquam infelices de illorum parvitate conqueri poſſent. Si enim magni ſtipendii dignitas & officium vacet, plures & quidem honeſti viri, è quorum numero cum delectu & judicio unum deligere licebit, ambibunt, ſecus autem ſit, ſi ſtipendia ſint exigua. Cogitandum tamen relinquo plures particulares Theſaurarios ſub unum aliquem univerſalem ſubjici parum ex re eſſe, mediamq́ue viam videri ſi induſtrius aliquis vir eum uno aut altero adminiſtro huic negotio præficiatur, & nullus ſub illo Coactor aut Quæſtor ſit. atque pari ratione de cæteris judicandum eſſe ſtatuo.

3 CAPVT.

ORDO RERVM RATIOCINATIvarum, quæ ad Diſpenſationem communiter attinent.

PARS I.

IN primis, quia Diſpenſationis Theſaurarium à pecunia inſtructum eſſe neceſſe eſt, à Principe generalia acta accipit, quibus munitus definitam pecuniæ ſummam, quantam quot menſibus opus eſſe experientia compertum eſt, à

Theſau-

Digitized by Google

Theſaurario repetit: ſi vero ſupra illam ut ſit aliquādo, amplius opus ſit, ut eum menſtrualis pecunia propter extraordinarios ſumptus non ſufficit, peculiaris illi à Principe ſyngrapha datur. atque hunc in Galliarum Regis diſpenſatione morem obſervari in libris *au Guidon des Finances* ſcriptis comperio.

2.

Emptio magnarum partium & commeatuum quæ in Officiariorum actis nominatim expreſſa ſunt, non fit, niſi præſente & aſſentiente Quæſtore, aut aliis quibus iſta res commiſſa eſt, ſcriptoq; comprehenſa à Graphiario & Venditore ſubſignatur, quotidiana autem vulgatia & minuta genera à diſpenſatore iis legibus, quas paulo fuſius dicturi ſumus, emuntur.

3.

Quandoquidem Apologiſta omnium, ſic enim illius acta & inſtrumentum habent, quæ à Diſpenſatore geruntur, conſcius eſſe debet, omniaque empta bona illo præſente ponderantur, menſurantur, numerantur, & præterea præſentario argento omnia emi ponimus (quod in Aulis ubi Italorum Apologiſtica obtinuit, propter cauſas capite 2° explicatas fieri oportet) locus certus mercium traditioni, acceptioni, ſolutioni, & in Codicem relationi deſtinatus eſt, certa quoque diei hora, una ante, altera poſt prandium, qua Venditores, Diſpenſatores, Theſaurarii, Apologiſtæ, & nonnunquam Antilogiſtæ convenire ſolent, primus quidem ut venditas merces tradat, ſecundus ut emptas à ſe accipiat, tertius ut pro illis ſatis faciat, quartus ut in Codicem referat, quintus ut an ſinguli ſuo munere rite fungantur cognoſcat. quæ res permagno emolumento & Venditoribus & Officiariis eſt.

4.

Initio in Diſpenſationum Codice, precium quo emptor & venditor inter ſe cōvenerunt, & merces emptæ ſunt, Diſpenſator ſcribet, ut ſi forte dubitatio aliqua de precio inter ſcribendū oriatur, ad manum habeat unde in viam reduci poſſit. Deinde ut is qui rationum ſubductioni intererit, & examinabit, precia ubique vero convenienter & congruenter poſita eſſe intelligat.

5.

Eodem in Codice Diſpenſator quotidie ſcribit (alicubi in Catalogo ſive Elencho ſit) qui in Galliarum Regis diſpenſatione *Eſcrouve* nominatur, quæcunque incidunt etiam minima ad diſpenſationis miniſterium pertinentia, ut ſunt merces emptæ, fruges & res in Principis fundo, & agris natæ, bona dono data, alioque modo acquiſita, nec non quæ ab illo diſtributa, vendita, donata, alioque modo quolibet diſtracta.

6.

Si quæ minutiores ſunt partes, quarum ponderationi, numerationi, traditioni aut in manus dationi intereſſe Apologiſtæ vel Diſpenſatori (quod tamen raro evenit) per negotia ſeria non licuit, hanc voculam *affirmatè* adſcribunt. quo ſignificatū volunt, illas partes ſibi convenienter affirmantibus notas fuiſſe.

Vniuſ-

7.

Vniuſcujuſque partis ſyngrapham,quæ ſpeciem mercis traditæ habeat, à ſe ſubſignatam Venditor conficit, quam Diſpenſator ut res ita teſtatior fiat, penes ſe ſervatam in Codicem refert. Syngraphas verò unius menſis eo, quo accepit, ordine funiculo trajicit, & alicunde ſuſpendit.

8.

Pro ſyngraphis ab emptore acceptis,Diſpenſator apocham reponit,in quem uſus apochas typis excuſas in promptu habeto, quarum pura & ſcripturæ Vacua loca acceptæ mercis precio ejusque ſumma, item Venditoris nomine implentor addito ad finem: *N Theſaurarius huius Apocha debitum*, cujus iſta ſumma eſt ſolvet. Nomenque ſuum ſubſcribito, atque hæc Theſaurario pro ordinatione ſive aſſignatione ſunto etiam iſta verba. (*N Theſaurarius huius Apocha debitum ſolvet, quod eſt*) typis etiam ut ſcriptionis compendium fiat excudi ſolere notandum eſt, eique poſtea à Diſpenſatore ſummam nominatim expreſſam ſubjici. Apochas omnes Theſaurarius tanquam rei geſtæ argumenta diligenter aſſervato & quæ ejuſdem menſis ſunt funiculo, quo accepit ordine, tranſmiſſo colligato.

9.

Quia vero Theſaurius apochas, diſpenſator vero ſyngraphas quibus venditarum rerum ſpecies continentur, uterque in rei geſtæ fidem & argumentum ſibi retinet,&fortuito caſu turbari illas & miſceri contingere poſſet,quas tamen omnes quando ratio initur & examinatur collectas eſſe oportet: Deinde quia in menſtrualis ratiocinii epilogiſmo ſyngraphas præſentariæ ſolutionis à ſyngraphis (ſi forte numinaria difficultas ſit) cæcæ, ut cum Plauro loquar, diei diſcriminari neceſſe eſt, numeris n° 1, n° 2, n° 3 notantor,& ſic porro deinceps & continuè donec menſis exierit, quod & in Apochis obſervato, & in diſpenſationis Codice cuilibet parti nota cum ſyngraphæ, tum apochæ additor, ita enim, etſi ordinem illarum confundi ac turbari contingat, facile quælibet in ſuum locum redigi poteſt. hoc præterea, ad ſyngraphas ocularæ diei à cæcæ diei ſyngraphis diſcriminandum in epilogiſmo multum profuerit.

10.

Si vero tempora incidunt,ut apocha ſine ſyngrapha ſit, ut cum Princeps,vel principis nomine Conſiliarii debitum ſolvi ſola ordinatione vel aſſignatione faciunt: præterea ſi quid donatum eſt, ut ſolutio nulla ſit, nedum apocha, ordine numerorum, quibus ſyngraphas & apochas notandas eſſe diximus, non eſt opus. neque tamen hinc ullum impedimentum eſt, aut confuſio.

11.

Quæcunq; eo die à diſpenſatore acta fuerunt, veſperi à diſpenſationis ephoro & antilogiſta, dum rerum geſtarum memoria adhuc recens eſt, releguntor & membratim & diſtinctæ expenduntor, ſi nihil ſit, cui contradici poſſit, ſubſcribunto & approbanto ſummam autem non Arithmeticis notis, ſed Grammaticis, & integris vocibus ſcribuntor ne aliqua in mutandis notis fraus eſſe

O poſſit,

poſſit, etſi mutatio difficilior eſt factu, quod Apologiſta jam in Codicem illa retulerit.

12.

Diſpenſator, Theſaurarius, & Apologiſta diurna ſua acta poſtridie inter ſe conferunto & contendunto, diſcrepantiam vero, ſi qua inventa fuerit, æquanto & concinnanto.

13.

Diſpenſationis Codex ſingulis menſibus concluditor, nominaque diſpenſatoris nec non Theſaurarii & Apologiſtæ ſubſignantor, quorum ille ſummam debiti cum ſolutione, alter cum Codice convenire ſcripturâ ſua teſtatum facito, atque ſic tandem Diſpenſationis Codex cum diſpenſatoris ſynagraphis exeunte menſe in Theſaurarii manus traduntur, qui illa porro cum ſuis Apochis in Logiſterium infert (illud autem antequam dies quartus ſequentis menſis illucet, ex præſcripto & inſtructionis formula fieri convenit) ut illic ad Ratiocinariorum pluteum audiantur, & examinentur.

14.

Quandoquidem vero mos iſte rationes ad pluteum referendi, antequam tertius dies ſequentis menſis exeat ſtrictè obſervandus eſt, Theſaurarius & ratiocinarii magiſtri diem quo reddita ſibi ſint, adſcribunto, ut ſi fraus interveniat, quis ejus autor & cujus culpa ſit cognoſcatur.

15.

Neque ineptum videri poteſt Diſpenſationis Theſaurario circa anni finem, qui noviſſimus Decembris eſt à generali Theſaurario annumerari, quantum ad plenam labentis illius anni ſolutionem deſideratur, ut ſic univerſæ pecuniæ toto anno à generali Theſaurario expenſæ ratio, cum pecunia à Theſaurario particulari accepta expenſaque congruere intelligatur.

16.

Quandoquidem dictæ partes nihil habuerunt Diſpenſationis Apologiſticæ Italorum ratiocinium imitatæ proprium, deinceps de illa dicendum nobis erit.

17.

Vt non tantum emi, ſed quoque vendi bona & merces aliquando evenit, ut equos, ut Terrâ naſcentia, frumenta nimirum & fructus, quæ abundantius proveniunt aliquando, quam in annum opus ſit, item cum vel aromata, vel vina, vel quæcunque alia dono data ſunt plura, quam abſumi poſſunt: ta bona tam empta quam vendita in Diarium, item acceptorum expenſorumque Codicem non ſecus quam in Mercatorum Apologiſmo fieri ſolet, ſunt referenda.

18.

Munera etiam dono data pro ratione temporis ſuo precio æſtimanda ſunt, ob tres cauſas potiſſimum. Primo ut quantum pecuniæ in ſumptus alendæ Aulæ quotan-

quotannis impendi debeat, & quanta ſumma in unoquoque bonorum genere conſumpta ſit cognoſcere, tùm quia æquum eſt, quantum donatori obligatus & obſtrictus es, cognoſcere. Denique ut Apologiſtica Italorum calculum imitata certò cognoſcat, quæ ſors ſive ſumma ſit.

19.

Si Theſaurarius diverſis diſpenſationibus præfectus pecunias univerſas, quæ ad ſingula diſpenſationum genera opus ſunt, à generali Theſaurario uno tempore ſimul acciperet, nec quantum in ſingula erogare deberet, expreſſum eſſet: apud Apologiſtarum aliquem, etiamſi plures conſtituti fuerint, quantum acceperit profitebitur, ut Arcæ poſitum aliorum Apologiſtarum nihil aliud, quam precium quod à venditis bonis provenit, in τῷ Debet habere poſſet, quodq; *per ſolde* eò relatũ ſit, neque illis ſtatus Arcæ Theſaurarii diſpenſationibus præfecti, ſed tantummodo dicto Apologiſtę cognitus eſſet, ea tamen lege, ut ſi quando rationem ſubducere vellet cæteri Apologiſtæ declarare illi tenerentur reliquam ſummam Arcæ, quam Diſpenſationis Theſaurarius in ipſorum libris in τῷ Debet vel τῷ Credit habet. Si vero Diſpenſationis Theſaurarius univerſas pecunias accepiſſet, ac quantum in ſingula diſpenſationis genera erogare ac diſpendere deberet præfinitum eſſet, ſingulis Apologiſtis acceptas pecunias nominatim profitebitur, atque ſic ſtatus Arcæ ſingulis innoteſceret. Sed prior modus commodior eſt viſus.

20.

Quemadmodum Dominiorum Apologiſta Theſaurarium generalem pro Arcario habet, ideoque nomen illius neque in τῷ Debet, neque in τῷ Credit collocat, ſed Arcæ nomine illum intelligit: Sic Diſpenſationis Apologiſtæ pro Arcario eſt Theſaurarius illi adjunctus, & propterea illud in Codicem neq; ad τὸ Debet neque ad τὸ Credit refert, ſed Arcæ nomine intelligitur, cujus cauſa 5 capite Mercatorum Apologiſticæ declarata fuit.

21.

At Generalis Theſaurarii nomen uſurpatur, ſuumq; habet τὸ Credit quoties Diſpenſationis Theſaurario pecunias annumerat.

22.

Quemadmodum Arcarius Principis inſtitor eſt in re Nummaria: ita Diſpenſator in bonis & mercibus. & propterea quemadmodum Arcarii nomen, ſic neque Diſpenſatoris ad τὸ debet aut τὸ credit in Codicem referri debet. qua de re fuſius à nobis 6 capite actum fuit, quando de ordine & ratiocinio Inſtitorio diximus.

4 CAPVT.

CVLINARIAE DISPENSATIONIS *Apologiſtica & primum de computabilibus & incomputabilibus bonis.*

Generaliter hactenus de Diſpenſatione dicto, ſuper eſt ut ſpecialiter de ſingulis, illarumque proprietatibus deinceps dicamus, & quidem primum de coquinaria, quam tanquam plenius exemplum proponemus, hinc de Stabularia, Venatoria, Cubicularia, tum de Logiſterii, ædilitatis, & ſatellitii diſpenſatione.

In primis cognoſcendum eſt computabilia bona ab incomputabilibus diſcriminari. Computabilia appellantur quæ in futurum tempus providentes emimus, & ratio quantitatis cum in emendo accipiendoque, tum in diſtribuendo diſpenſandoque computatur, comparaturque. quorum genera in Culinaria adminiſtratione hujuſmodi ſunt.

Vinum Rhenanum.	Uvæ paſſæ.	Caſeus.
Vinum Gallicum.	Uvæ Corinthicæ.	Caro bubula.
Vinum Hiſpanenſe.	Pruna.	Pernæ.
Cerviſia.	Amygdala.	Linguæ.
Panis.	Oryza.	Lardum.
Piper.	Capparis.	Aſellus induratus.
Zingiber.	Olivæ conditaneæ.	Halex conditanea.
Nuces odoratæ.	Mala Heſperia.	Aſellus ſalitus.
Caryophylla.	Mala citrea.	Salmo.
Caſſia.	Mala Aurantia.	Acipenſer vulgò ſturio.
Crocus.	Oleum.	Ervilia, & piſa.
Macis.	Syrupus.	Sal.
Pulvis aromaticus.	Hordeum.	Acetum.
Saccarum.	Butyrum.	Smegma ſive ſapo.

Incomputabilia ſunt quæ non emimus in futurum providentes, ſed recentia emuntur atque abſumuntur, quæ quo abeant manifeſtum, neque annotatur, neque diſtribuuntur, ſed ordinaria quadam Cura, qualis in principum aulis uſitata eſt, diſponuntur, ac ordinantur. Incomputatilum genera ac diverſitates iſta ſunt.

Recens caro, ut bubula, vitulina, ovilla, agnina.

Recens piſcis.

Aromataria, ut panis ſacharites, aliaque hypotrimmata & tragemata: in dapalibus & ſaliaribus cœnis ſecunda menſa apponi ſolita.

Lactaria, ut Butyrum recens, lac, lactis flos ſive cremor, ejuſque caſeus.

Fructus & poma.

Aves quibus annumerantur, quæ ab aucupibus væneunt, lepores, cuniculi, porcelli & ſues.

Viridia

Viridia, quæ ab olitoribus væneunt, cujuſmodi ſunt acetaria, item olera, rapum, carota, braſſica, & id generis alia.

Ad incomputabilia etiam iſta annumerantur.

Vtenſilis ſupellex, & ruta cæſa culinæ.
Stipendia culinariorum.
Extraordinaria culinæ.

5 CAPVT.

QVO PACTO CVLINARIÆ *diſpenſationis partes in Diario item acceptorum expenſorumque Codice diſponendæ ſint.*

INtellecto de computabilibus & incomputabilibus rebus, proximum eſt ut Diarium aggrediamur, ubi Italorum Apologiſticæ regula ante omnia requiritur, ſtatus nimirum modusque informandi ſortem ſive ſummam, in quem finem bonorum computabilium, qualia qualia ſub clavibus ſunt, ſyllabus & index tanquam Diarii pars prima ſit, & quidem iſto titulo: *Diverſas partes τῦ Debet per ſummam* ſive *caput*, Merceſque, Mercatorum more, iſtius tempore precio æſtimari, neque ulla bona non computabilia in illam partem admitti debent, in ſingulos enim dies abſumuntur & concoquuntur.

Hinc omnes coquinariæ diſpenſationis creditores in unum locum contracti alteram Diarii partem iſto titulo efficiunt: *Sors vel ſumma τῦ Debet per diverſas partes*, hinc partes bonorum, quæ quotidie coëmuntur, tam computabilium quam incomputabilium ſequuntur, Eſto exempli gratia, Rhenenſe vinum præſente pecunia emptum, hoc pacto, *Vinum Rhenenſe debet per Arcam*; in diem verò emptum ſic. *Vinum Rhenenſe debet per Ioannem Nicolai:* Vinum Rhenenſe Principi honorarii loco donatum, hoc modo: *Rhenenſe vinum debet per ſummam, quia civitas N honorarium decem cadorum dedit, quorum ſinguli hoc tempore æſtimantur*, &c. *ſumma omnium*, &c. Neque illud ſilentio prætereundum computabiles merces non amplius quam bis, ter, aut quater quotannis in tempus futurum comparari, ideoque illarum emptiones non amplius quam duas tres, aut quatuor partes in Diario occupare quotannis, & quidem pauciore ſcriptura quam incomputabiles, quæ quotidie aut tertio vel quarto quoque die coëmuntur.

Hactenus de ratione modoque inſcribendi empta donataque bona in Diario, tempus nunc eſſet de expenſis diſpenſatiſque dicere. Rerum quandoquidem hujuſmodi bona eduntur, bibuntur, abſumuntur, non autem venduntur, ut mercatorum merces ſolent, quæri poteſt, quomodo iſta bona in acceptorum expenſorumque Codicem & quidem ad locum τῦ Debet relata, ſuum τὸ Credit ſortientur. & quomodo hujuſmodi partes in Diarium inferentur. Non diſſimilis inquam ego res eſt, ut exemplo utar, Mer-

catoris qui ſacchari negotiationem exercet, cujus libris quinque & viginti in culinam datis, in Diario ſcribit Impenſæ domus debent per ſaccharum, vel ſi ſic placet (eodem enim recidit) *Summa debet per ſaccharum*, vel ſi aliæ merces (ut ſemper fere fit) ſaccharo adjunctæ ſunt: *Summa debet per diverſas partes*. Etſi à Mercatore è bonis emptis pauca abſumantur in Principis vero culina omnia. Comparatio tamen hac in re quam ſimillima eſt.

Quia vero ſaccharum aliæque merces in multas & exiguas particulas partitæ diſtribuuntur ac diſpenſantur, Apologiſta vero omnium coëmptorum donatorumque gnarus & certus eſſe debet, quemadmodum ſupra retulimus, illo enim præſente omnia ponderantur, numerantur, menſurantur, redduntur & accipiuntur: ſi eandem operam in diſtribuendis rebus etiam ponere deberet, permagna inde moleſtia illi crearetur, loco annotationis, quæ fere manca & imperfecta ſolebat eſſe, diſtributionis quendam apologiſmum fieri, ut 6 capite deſcribetur, viſum eſt, & aliquem deſignari, qui congeneres mercium ſpecies, apologiſtarum inſtar, conſociet, & illarum quotmenſibus confectam partem Diſpenſationis Apologiſtæ tradat, qui illam porro noviſſimo menſis in Diarium ſic transferet.

31 Martii ſumma debet per diverſas computabiles merces, quia hoc Martii menſe, ut diſtributionis computus arguit, iſtæ ſequentes merces diſtributæ & erogatæ ſunt:

Piperis 14 ℔, quarum ſingulæ valent	- - -	14 £ 0 ß
Zingiberis 15 ℔, quarum ſingulæ valent	- - -	7 £ 10 ß

Similis ratio cæterarum mercium computabilium eſt, ut ſingulæ ſpecies ſingulis menſibus non amplius quam ſemel, hoc eſt in anno duodecies in Diarium veniant, partibusque in acceptorum expenſorumque Codicem relatis, Sortis poſitum (quo ſumma Culinariæ diſpenſationis intelligitur) conveniens ſibi τὸ Debet in una parte, poſitumque mercium computabium ſuum τὸ Credit ſortiuntur, quæ Apologiſtę magnam commoditatem & laboris compendium adferunt.

Huc uſque quomodo computabilium mercium partes in Diarium veniant declarato, ut in acceptorum expenſorumque Codice debitum ſibi τὸ Credit conſequantur, tempus eſt de incomputabilibus dicere, quæ quidem in jam dicta diſtributione non comprehenduntur, conſumpta ſunt tamen, propterea una illarum omnium pars anni die noviſſimo, quando rationum Epilogiſmus conficitur, in Diario collocatur hoc pacto:

31 Decemb. Summa debet per diverſas merces incomputabiles, quæ hoc anno 1606 quotidiano victi conſumptæ ſunt, quarum ſumma hic ſequitur.

Carnes recentes ut arguit Codex accept. & expenſ. folio tali	-	£ - ß
Piſces recentes, ut conſtat ex accept. & expenſ. Codic. folio tali	-	£ - ß
Aromataria, ut liquet ex accept. & expenſ. folio tali	- - -	£ - ß

Et ſic de cæteris mercibus incomputabilibus judicandum. Hiſce partibus in acceptorum & expenſorum Codicem relatis, poſitum ſummæ ſuum τὸ debet, & ſingula incomputabilium mercium poſita ſuum τὸ credit, ſine multa ſcriptione ſortientur, & nos tamen in rei quæſitæ notitiam deducent.

Quantum

Quantum ad res dono à Principe datas attinet, illarum in Diarium relatio & ſcriptio contraria eſt viæ modoq́ue qui in acceptis donis fuit indeq́ue ſatis nota. ut, exemplum eſto. Vinum Rhenenſe quo Princeps aliquem honeſtavit, ſic ſcribitur, Summa debet per Rhenenſe vinum, iſtius cadis tribus N. honeſtatus fuit à Principe, quorum ſinguli hoc tempore iſto precio ſunt æſtimati.

Ordo poſitorum qui eſt in partium è Diario in acceptorum & expenſorum Codicem tranſlatione in Mercatorum Apologiſtica jam dictus eſt. Poſita enim quotannis eodem ordine ponere, quo in Dominiis poſita ſunt inconveniens eſt, quod non nulla merx poſteri temporis proviſione empta, non niſi ter vel quater in anno emitur & accipitur, alia vero quotidie, quarum ſcriptura cum plures paginas implet, præſcriptum ordinem turbant, quod & mutati creditores faciunt.

Et quam variæ computabilium & incomputabilium ſpecies capite 4 ſunt deſcriptæ: totidemq́ue tamq́ue varia poſita ſunt in acceptorum expenſorúmque Codice, quo & mobilium bonorum, item ſtipendiorum, & aliarum rerum extraordinariarum ad culinam pertinentium accedunt, una cum Arcæ ſumma, venditoribus, creditoribus, nec non debitoribus.

6 CAPVT.

DE COMPVTABILIS COMmeatus diſtributione in culinaria diſpenſatione.

VT hujuſmodi diſtributionis ratio modusq́ue intelligatur, Culinario diſpenſatori * Librariolum, & peni procuratorem ſive cellarium additos eſſe cogitandum eſt, quibus quarto vel quinto quoque die è penaria cella ſive armario ſuppeditat quæ inter coquos, cupedinarios, aliosq́ue ubi opus eſt, quotidie diſtribui neceſſe eſt. Diſtributionis rationem dictus Librariolus computat, quem in uſum tres codices paratos habet, primum adverſaria vel memorialem libellum, ſecundum Diarium vel Ephemeridem, tertium denique accepti expenſique Codicem vel commentarium dicimus, quia cum hujuſmodi Mercatorum libris aliquid cognationis & ſimilitudinis habent. Libri memorialis initio apographa ſive inventarium bonorum omnium, quæ armario in præſens eſſe deprehenſa ſunt, ſcribitur, deinde quotidianæ diſtributiones quibus ſint factæ, & quantæ, & ſimul una quæ bona peni procurator à Diſpenſatore accipit. Adverſariorum initium ſic eſt, quemadmodum infra per exemplum præfiguratur.

** Librariolū cum Tullio dicimus, qui vulgo eſt een-Clerck/ ſive Cellarium.*

DISTRIBVTIONIS ADVERSARIA VEL MEMORIALIS LIBELLVS.

Inventarium bonorum computabilium, cujuſmodi in penaria cella Ianuarii initio anno 1606 fuerunt.

Piper	4 ℔ 4 unc.
Zingiber	5 ℔ 8 unc.

Nucum myriſticarum 3 ℔ continentes	112 nuces.
Caryophylla	2 ℔ 12 unc.
Cinnamomum	3 ℔ 2 unc.

Quemadmodum hic in quinque aromatum generibus fecimus, ita in aliis quibuſvis faciendum eſſe judicato.

Poſt inventarium dictarum partium acceptiones & diſtributiones, quemadmodum quotidie occurrunt, ſequuntur.

Verum quandoquidem nomina & partes ejuſdem ſpeciei eodem die ſæpius repetuntur, quæ ſine multa ſcriptura, nec in acceptarum expenſorumq́ue, neq; in Diſpenſationis Codicem referri poſſunt, Librariolus unoquoque veſpere congeneres ſpecies unum in locum collectas in alium librum, quem Diſtributionis Diarium indigitavi, transfert, ut ſingulis diebus ſingula genera tantum ſemel ſcribantur. Initium Diarii tale eſt, quale pro exemplo hic ſubjicimus.

DIARIVM DISTRIBVTIONIS.

Inventarium computabilium bonorum, cujuſmodi in penaria cella initio Ianuarii à 1606 inventa fuerunt.

Piper	4 ℔ 4 unc.
Zingiber	5 ℔ 8 unc.
Nucum odoratarum 3 ℔ continentes	112 nuces.
Caryophylla	2 ℔ 12 unc.
Cinnamomum	3 ℔ 2 unc.

Hinc acceptionum & diſtributionum partes quotidie obviæ ſequuntur, quæ diverſarum ſpecierum memorialis libelli collectiones in unum locum, ut jam dictum eſt.

Dictæ partes Diarii diſtributionum in accept. & expenſ. Codicem itidem diſtributionis referendæ ſunt, referendi autē via & modus ejuſmodi eſt. Quandoquidem hic aliud nihil quæritur, quam eventus & exitus mercium, ponderum, menſurarum, & generum, non autem pecuniæ ſumma, aut Debitorum Creditorumq́ue nomina, totius paginæ latitudinem ſingulis generum poſitis aſſignare & attribuere neceſſe non eſt, multum enim chartæ illud ſibi auferret, cum ſcriptura tamen ſit perexigua. Itaq; ſingulas paginas in plures ſelides (quæ hic decem ſunt numero) partimur, illasq́ue alternas τῷ debet & τῷ credit aſſignamus quaſi integræ eſſent paginæ. In ſuprema ſelidum parte bonorum τὸ debet & τὸ credit eſt, initio à pipere facto, hinc Zingiber ſequitur, cæteraq́ue illo ordine, qui nobis 4 capite expoſitus eſt. His ita diſpoſitis ſub cujusq́ue τῷ debet ſummam è ſuperiore anno reliquam ſubſcribo, quemadmodum nobis inventarium illius judicium nobis fecit, ut infra videre licet. Februario ineunte reliquum, quod in Ianuarii fine vel epilogiſmo reſtare inventum fuit, adſcribo conſequentium denique menſium ſimilis ratio eſt.

Et illud monendum eſſe duximus ſalſamentorum, & piſcium ſingulorum muria conditorum ut ſunt, halex, aſellus ſalitus, ſalmo, aloſa, rationem iniri non

non poſſe, quandoquidem ſingulos, dum accipiuntur, ex vaſis extrahere, & muria exemptos numerare abſurdum ſimul & damnoſum eſt. itaque vaſis quibus conditi jacent numerare & accipere ſolemus, hoc eſt orcarum aſſibus, ſemiſſibus, quadrantibus ſeſcuncibus, atque ſic in Codicem referuntur.

Hinc Diarii partes, quæque ad poſitum ſuum, ut convenit, transferuntur, bona nimirum diſtributa ad τὸ credit, accepta vero ad τὸ debet. Deinde quia ſingulæ Diarii partes ſemel tantum, quia non bis transſcribuntur primum ad τὸ debet, deinde ad τὸ credit, quemadmodum in plena Apologiſtica Italorum ratiocinium imitata fieri ſolet, quod diſtributarum partium τὸ Debet perpetuò eſſet idem, ſumma nimirum ſive ſors, & nullum nobis cum τῷ Credit rerum acceptarum negotium eſt, duplici illa in Codicem relatione opus nō eſt quemadmodum fuſius & plenius cap. 9. Apologiſticæ Dominiorum de ſimili relatione dictum eſt. Exemplum Codicis acceptorum & expenſorum ſequitur.

DISTRIBVTIO-
NIS CODEX ACCEPTO-
RVM EXPENSORVMQVE.

Digitized by Google

Iannar. 1606	Piper debet.	Piper credit.	Zingiber debet.	Zingiber credit.	Nuces my. debet.	Nuces my. credit.	Cariophyl. debet.	Cariophyl. credit.	Cinnamo. debet.	Cinnamo. credit.
	℔. unc.	℔ unc.	℔. unc.	℔. unc.	numer.	numer.	℔. unc.	℔. unc.	℔. unc.	℔. unc.
Reliquus.	4. 4		5. 8		112		2. 12		3. 2	
1		0. 8		0. 14						
2				0. 8						
3		0. 8		0. 8						
4				1. 10						
5										
6										
7		0. 8		1. 8						
8		0. 12								
9				0. 6						
10		0. 14	4. 0	1. 2						
11	5. 0	0. 8								
12		0. 14		0. 8						
13										
14		1. 2		1. 2						
15		0. 14		0. 14						
16										
17		0. 8		0. 8						
18		0. 8	6. 0	1. 2						
19		0. 12		0. 6						
20	5. 0			0. 8						
21										
22		0. 14		0. 8						
23				0. 8						
24		0. 14								
25		0. 12		1. 0						
26		0. 12		1. 2						
27		0. 8								
28		0. 14	4. 0	1. 2						
29		1. 8		0. 8						
30	5. 0									
31		0. 14		0. 6						
Summa	19. 4	15. 4	19. 8	16. 10						
Reliquus		4. 0		2. 14						
Summa		19. 4		10. 8						

Crocum debet.	Crocum credit.	Macis debet.	Macis credit.	Pulvaro debet.	Pulvaro credit.	Saccarum debet.	Saccarum credit.	Vuæ paſſæ debet.	Vuæ paſſæ credit.
℔. unc.	℔. unc.	℔. unc.	℔. unc.	℔. unc.	℔. unc.	℔. unc.	℔. unc.	℔. unc.	℔. unc.
0. 6		0. 14		2. 12		24. 8		8. 12	
								F	

Januar. 1606	Vuæ corin. debet.	Vuæ corin. credit.	Pruna debet.	Pruna credit.	Amygdala debet.	Amygdala credit.	Oriza debet.	Oryza credit.	Cappares debet.	Cappares credit.
	℔. unc.	℔. unc.	℔. unc.	℔. unc.	Numer.	Numer.	℔. unc.	℔. unc.	℔. unc.	℔. unc.
Reliquus.	8. 8		30. 0		4. 8		12. 0		80. 0	
1										
2										
3										
4										
5										
6										
7										
8										
9										
10										
11										
12										
13										
14										
15										
16										
17										
18										
19										
20										
21										
22										
23										
24										
25										
26										
27										
28										
29										
30										
31										

Digitized by Google

Oliva debet.	Oliva credit.	Lemonia debet.	Lemonia credit.	Citria debet.	Citria credit.	Aurantia debet.	Aurantia credit.	Oleum debet.	Oleum credit.
Congii.	Congii.	Numer.	Numer.	Numer.	Numer.	Numer.	Numer.	Lecythi.	Lecythi.
4		240		180		120		160	

P 2

Ianuar. 1606	*Sirupus debet.*	*Sirupus credit.*	*Hordeum debet.*	*Hordeum credit.*	*Butirum debet.*	*Butirum credit.*	*Caſeus debet.*	*Caſeus credit.*	*Caro bub. debet.*	*Caro bub. credit.*
			℔. *unc.*	℔. *unc.*	℔. *unc.*	℔. *unc.*	℔. *unc.*	℔. *unc.*	*Fruſta.*	*Fruſta.*
Reliquus.			5. 8		360. 0		40. 0		38.	
1										
2										
3										
4										
5										
6										
7										
8										
9										
10										
11										
12										
13										
14										
15										
16										
17										
18										
19										
20										
21										
22										
23										
24										
25										
26										
27										
28										
29										
30										
31										

Petaſones debet.	Petaſones credit.	Linguæ debet.	Linguæ credit.	Laridum debet.	Laridum credit.	Aſell.dur. debet.	Aſell.dur. credit.	Halec debet.	Halec credit.
Numer.	*Numer.*	*Numer.*	*Numer.*	℔. *unc.*	℔. *unc.*	℔. *unc.*	℔. *unc.*	*Vaſcula.*	*Vaſcula.*
34		12		65. 0		210. 0		12	

Januar. 1606	Aſellus debet. Numer.	Aſellus credit. Numer.	Salmo debet. ½ Vaſis.	Salmo creait. ½ Vaſis.	Sturio debet. ½ Vcſis.	Sturio credit. ½ Vaſis.	Piſa debet. Medun.	Piſa credit. Medun.	Sal debet. Vaſa.	Sal credit. Vaſa.
Reliquus	8		2		2				1	
1										
2										
3										
4										
5										
6										
7										
8										
9										
10										
11										
12										
13										
14										
15										
16										
17										
18										
19										
20										
21										
22										
23										
24										
25										
26										
27										
28										
29										
30										
31										

Acetum debet.	*Petaſones credit.*	*Linguæ debet.*	*Linguæ credit.*
½ *Vaſis.*	½ *Vaſis.*	*Vaſa.*	*Vaſa.*
2		1	

Februar. 1606	Piper debet.	Piper credit.	Zingiber debet.	Zingiber credit.	Nuces my. debet.	Nuces my. credit.	Cariophyl. debet.	Cariophyl. credit.	Cinnamo. debet.	Cinnamo. credit.
	℔. unc.	℔. unc.	℔. unc.	℔. unc.	Numer.	Numer.	℔. unc.	℔. unc.	℔. unc.	℔. unc.
Reliquus.	4. 0		2. 14							
1	———	0. 10	———	0. 8						
2	———	0. 8	———	0. 8						
3	———	0. 12	———	0. 14						
4										
5										
6										
7										
8										
9										
10										
11										
12										
13										
14										
15										
16										
17										
18										
19										
20										
21										
22										
23										
24										
25										
26										
27										
28										

IN hoc acceptorum expenſorumque Codice exemplum piperis & zingiberis in menſe Ianuario diſtributi adduximus, una cum Februarii initio, unde regula omnium aliorum bonorum merciumque communis æſtimari facile poteſt, ſub quorum titulis & epigraphis brevitatis cauſa, illa tantū poſuimus, quæ ex inventario cognita nobis fuerunt, tanquam poſitorum ſive ſelidum principia, quæ deinceps ſimiliter poſitorum piperis ac zingiberis impleri debere, quiſque per ſe facile intelligit.

In hac vero diſtributione, bonorum poſita octo paginas implere, ut exemplum arguit, ſingula porro cum menſe incipere ac deſinere, commodè enim tricenis vel 31 lineis diſtingui poſſunt, notandum eſt, & propterea octo paginas menſis unius diſtributioni congruere. neque obſcurum eſſe poteſt, diem menſis in prima ſelide ſemel ſcriptum, utriuſque paginæ ſelidibus inter ſe cōgruis ſufficere, ut in partium tranſlatione nihil aliud opus ſit, quam ſub ſelidis epigraphe numerum, pondus, menſuram, aut orcarum, faſciculorumque, quibus merces colligatæ ſunt, multitudinem ſubſcribere, unde magna facilitas, ſcriptura perexigua, & legittimus ordo exiſtunt.

Neque illud ſilentio prætereundum eſt. Eſculentorum poculentorumque genere aliquo abſumpto, ut aliud in penariam cellam inferri neceſſe ſit, librariolus ſive culinæ commentarienſis conſiderat, & examinat prius ánne bona quæ peni procurator proximè expēdit, cum iis quæ accepit, cōveniant. ut æſtimatio illorū neutiquam annū excedere, ſed quoties in cellam penariam eſculenta recentia inferuntur, fieri debeat. ut error vel fraus, quæ culpa penarii procuratoris evenire potuit, per commentarienſem; quæ vero Diſpenſatoris per Culinarum Apologiſtam detegatur, hujus enim eſt memorialem libellum conficere, ut ſuo loco à nobis explicatum eſt.

De penariæ cellæ procuratoris diſtributione hactenus dicto, de vinaria & cerviſiaria diſtributione aliquid dicendum erit, quia etiam ratio illorum iniri & comparere debet. Vini quidem diſtributio lagenis & œnophoris, cerviſiæ vero vaſis. utraque à ſuis promis fit, quorum ſingulis, ſi ſinguli homines præfecti ſunt cura accipiendi diſtribuendique, ſimplex & exigua eſt. ut declarationis non egeat, & utraque librum, in quo ſcribantur, communem habent, & quotidiana diſtributionis acta veſperi ab Aulæ præfecto & antilogiſta ſive antigrapheo in illo ſubſcribuntur. quemadmodū cap. 3. generaliter à nobis dictum eſt.

Menſtrualis diſtributionis hujus libri, noviſſimo cujuſque menſis die, ſaltem poſtridie Culinariæ diſpenſationis Apologiſtæ traduntur, qui in Diarium omnia refert, & ad ſuam partem.

7 CAPVT.

APOLOGISTICA DISPENSAtionum *Stabulariæ, Venatoriæ, Cubiculariæ, Logiſterii, Ædificationis ſive Ædilis, & Satellitii.*

ET PRIMVM QVIDEM DE STABVLARIÆ DISPENSATIONIS APOLOGISTICA.

POſitis initio Codicis, qui Menſtrualis diſpēſationis eſt, mercibus ſive bonis, certo pretio in diem emptis, quemadmodum generalis regula diſpenſationis tertii capitis quinto articulo illud exigit, illud Stabulariæ rei peculiare adden-

Digitized by Google

addendum videtur, ſyllabus ſcilicet omnium equorum nominatim appellatorum, & quantum avenæ illorum cuique in dies ſingulos ſit præbendum, ut hiſce una, illis duæ, tertiis tres, quartis quatuor ſpintæ, ut ſi Diſpenſatorem in diſtribuendo, ſtabuli præfectum & antilogiſtam in ſubſcribendo, Auditorem rationarium in examinando dubitare contingeret, habeant unde doceri & in viam reduci poſſint, Quia vero equorum numerum mutari contingit, quod alii emantur, vel etiam vendantur, alii dono dentur, aut etiam accipiantur, alii moriantur, aut etiam equini pulli naſcantur, quamob rem etiam præfinitam avenarii pabuli diſtributionem mutari contingit, viſum eſt ad nomen illius equi in margine diem mutationis adſcribi & annotari, ut ſic quotidiana pabuli diſtributio nunquam non nota eſſe poſſit.

Computabilia Stabuli bona deinceps ſequuntur.

Equi.	Fabæ.
Avena.	Liba è lini ſemine facta.
Stramen.	Gramen & paſcua.
Hordeum.	

Incomputabilia verò ejuſmodi ſunt.

Ephippiaria.	Pinguiaria.
Calcaria.	Siliquæ.
Fabrilia.	Lac.

Quo & iſta adduntur.

Tabernacula.
Stabuli ſtipendia.
Stabuli extraordinaria.

Avenæ diſtributio, quæ de die bis fit, hujuſmodi eſt. Diſpenſator quotidie annotat, quot ſpintas in univerſos equos diſtribuit, verum quia nonnunquam à Stabulis quidam abſunt, tot ſpintas à quotidiano demenſo ſubducit, quantum illis in dies ſingulos præfinitum eſt. Præterea neq; omnis avena, quæ equis offunditur, ſemper abſumitur, itaque recollecta menſuratur, & à demenſo ſimiliter ſubducta avenam illo die diſtributam relinquit. Reliqua computabilium diſtributio ſimplex, & propterea diſtributionis minime indiga.

Partes Stabuli in Diario, ut ſunt bona empta, vendita non tantum in diem, ſed etiam præſentario argento, dono accepta, etiam data, ſimiles ſunt partium Apologiſticæ Culinariæ. Verum enimvero quia equorum ratio hic aliquid peculiare & proprium habet, paucis expediam. Equi dono à Principe accepti aut etiam dati, recens nati, aut etiam mortui precio ſuo non ſecus quam aliæ merces æſtimari debent, cauſas cur id fieri convenit 17 artic. 3 capit. Diſpenſationis diximus. Hujuſmodi autem æſtimationis ratio valde incerta eſt & varia, primũ propter diverſitatem ingeniorum æſtimantium, deinde quoniam pridie ſanus & integer, poſtridie morbidus imbecillus eſt, preciiq́ue multò minoris. Deniq; quod pulli adoleſcentes in dies mutantur, incertæq́ue æſtimationis ſint, ut tamen hac de re aliquid ſtatuatur, iſtâ incedimus via. Primum cujuſq; equi pretium ponitur eſſe quanti æſtimatur, poſitoq́ue, ſummam 132 equorũ in 25634 aureos excurrere, precium in ſingulos equos erit $194\frac{26}{33}$ aureorum, at quoniam valde propinquum eſt 200 aureis, ita ſinguli æſtimari probariq́ue poſſunt. jam ſingulis equis ita æſtimatis univerſorum pretium eſſet 26400, quomodo etiam in inventario in primâ Diarii parte taxantur. unde æſtimatio deducitur, equos

ſingulos

ſingulos dono tam acceptos, quam datos, recens natos & emortuos 200 aureis valere; Equi vero empti aut venditi pretium tantũ ſcribitur, quantum eſt. Hæc æſtimationis via aptiſſima nobis viſa eſt; ut ſic exiguo labore Italorum Apologiſtica adjuti, non longè à vera ſumma & ſorte diſcedamus. Si vero quis commodiorem rationem excogitaverit, per nos ut ſequatur licet.

NOTA DIGNVM.

Tertia ſectione ſive parte *Du Guidon des Finances*, titulo ſive Epigraphe *Threſorier de l'Eſcurie* dicitur, Mercatores qui mercimonia ſive bona ſua equili vendunt, partes pro arbitrio ſuo æſtimare, æſtimatas autem generali Antilogiſtæ equilis ſive Antigrapheo tradere, qui illas in unoquoque genere moderetur, hinc nomen ſubſcribit, mihi vero iſta per diſpenſatorem fieri convenienter ordini, quem meus ILLVSTRISSIMVS PRINCEPS omnium diſpenſationum & mercium quæ emuntur communem, atque generalem concepit, magis probatur. quia enim hujuſmodi moderatio & precii æſtimatio inter primas curas, quæ Antilogiſtæ demandatæ ſunt, numeratur, nimirũ ut diligenter attendat anne is, qui iſta facit, inſtituto congruenter faciat, atque ſic ſuarum ipſius rerum antilogiſta eſt, quod plane abſurdum videtur. Inſuper quandoquidem Diſpenſatoris eſt emptas merces diſtribuere, ad illarum ratiocinia attendere, & precia computare, quæ in magno Equiti totum hominem occupant, per antilogiſtam commode illa confieri poſſe non videntur, cum ſatis abunde negociorum illi aliunde incumbunt. Verum cogitationem hic tantummodo injicio, ſpe fretus abſolutiorem viam aliquando inventum iri.

VENATORIÆ DISPENSATIONIS
APOLOGISTICA.

Cujus capita ſunt iſta.

Canes.
Aves.
Panis.
Ineſcationis pecunia.
Venationis ſtipendia.
Venationis extraordinaria.

Ad hæc in Italorum Apologiſtica etiam ſortis ſive ſummæ partes, lucrum, damnum, Arca, Debitores & Creditores accedunt. Forma vero tabularum Diſpenſatoris, nec non Diarii item acceptorum expenſorumque Codicis, librorum Culinæ, & equitis non eſt diſſimilis.

NOTA DIGNVM.

Francorum Regis venatio ſeptem habet capita, quemadmodum è tertia parte *du Guidon* patet, ſed materiæ ab hac diverſæ, prout Galliarum Regis aula poſtulat.

CVBI-

CVBICVLARIÆ DISPENSATIONIS APOLOGISTICA,

Cujus Capita ejuſmodi ſunt.

Res veſtiaria Principis, item ſupellectilia cubiculi.
Lintea principis.
Arma.
Honoraria.
Expeditæ ſyngraphæ, ſive ordinationes pecuniarum quas Princeps cauſa non addita numerari & diſſolvi jubet, in Galliarum Regis diſpenſatione minora negocia Cubiculi Regii, & minora oblectamenta appellantur.
Veſtitus aſſeclarum, & qui à pedibus ſunt.
Teſſeræ.
Sumptus in Itinere à Cubiculariis facti, ſtipendia Cubiculariorum.
Extraordinaria Cubiculi.

Quo in Italorum Apologiſtica etiam ſortis ſive ſummæ partes accedunt item lucrum & damnum, nec non Arça debitores & creditores. Forma verò tabularum diſpenſatoris, nec non Diarii, & acceptorum expenſorumque Codicis, eadem planè cum culinæ libris.

NOTA DIGNVM.

Cubiculum Galliarum Regis ſeptem capita ſive titulos habet, ut è tertia parte *du Guidon* intelligi poteſt, ſed argumenti planè diverſi, quemadmodum Oeconomia Aulæ exigit.

DISPENSATIONIS LOGISTERII APOLOGISTICA,

Ejusque Capita hujuſmodi ſunt.

Sumptus à Conſiliariis in Itinere facti.
Sumptus item à Theſaurario, ejusque librariolo in Itiner e facti.
Sumptus conſultationibus & litibus impenſi.
Munera Conſiliariis tributa.
Item Theſaurario generali data.
Impenſæ menſarum ſive pluteorum Senatus, Theſaurarii generalis, & Dominiorum Apologiſtæ.
Tabellionum, & Veredariorum merces.
Stipendia Logiſterii.
Extraordinaria Logiſterii.

In hac Apologiſtica aliæ etiam partes ſunt indidem natæ. Forma tabularum Diſpenſatoris, Apologiſmi, Diarii, acceptorum & expenſorum Codicis, Culinariis ratiociniis quam ſimillima eſt.

NOTA.

NOTATU DIGNUM.

Logiſterium Regis Galliarum quindecim capita habet, ut ex tertia parte *du Guidon* manifeſtum eſt, ſed argumenti plane diſſimilis, pro ratione negotiorum illic incidentium.

APOLOGISMUS DISPENSATIONIS *ædificationum, ſive ædilitatis*

quâ ædificia, aliaque opera intelliguntur, quæ ad ædificationem pertinent, quibus quoniam cognatio & affinitas eſt cum Munitionum Apologiſmo, nam & munitio ædificationis ſpecies quædam eſt, de qua in Extraordinariâ Financiâ dicitur, illinc peti debent, quæ hic de ædificationis Apologiſmo diceda eſſent.

APOLOGISMUS DISPENSATIONIS *ſatellitum, & δορυφόρων*

uſu receptus & confirmatus nondum eſt, ſi tamen reciperetur, certiorem ordinem diſciplinamque comparatum iri non modo militum, qui ſtipendia ſub Principe merent, ſed etiam eorundem expeditam ſolutionem magno cum militum, tum Principis bono per Theſaurarium conſervatum iri puto, certiusque coſtaret ratio hybernaculorum, commeatuum, veſtimentorum, aliarumque rerum quæ inter milites diſtribui ſolent. Sed enim, quia nondum uſu recepta res eſt, ut dixi, deinde quod communis hujus negotii regula magis proprie ad Apologiſmum diſpenſationis Financiarum extraordinariarum pertineat, cujus mentio infra * ſuo loco fiet, nihil amplius hic dicam.

* a nota 7 propoſit. Financia extraordin.

8 CAPUT.

COMMEMORATIO ORDINIS *in ſolvendo Stipendia.*

IN ſingulis Diſpenſationũ ſpeciebus peculiare caput ſuis cujusque diſpenſationis officiariis aſſignavimus, unde in Principis Oeconomia nullũ reliquum eſſe, ſed ſingulos in ſua diſpenſatione commemoratos, & à Theſaurario ſatisfieri intelligimus. Quia vero in quorundam Principum aulis uſus obtinuit, ut etiam Stipendiorum Theſaurarius & diſpenſator peculiaris ſit, qui in noſtra hac Apologiſmi informatione nullus eſt, etiam de illis aliquid dicendum nobis eſſe cenſeo.

Primum quando officiariorum ſinguli ad ſuas diſpenſationes non referuntur, tituli ſive epigraphæ librorum menſtrualis ratiocinii cum ſuo argumento non bene conveniunt. Exemplum eſto. titulus Culinariæ diſpenſationis indicium facit in illum Codicem univerſas Culinæ impenſas ſcribi debere, ſed ſi ſtipendia Culinariis debita illic deſiderantur, quæ tamen illius diſpenſationis pars magna ſunt, quomodo titulus libri (ut jam dixi) cum argumento convenire dicetur?

Deinde cur diſpenſatio in varias ſpecies diſtinguatur, hæc una inter præcipuas cauſas eſt, ut quanti ſumptus in unaquaque fiant cognoſcatur, deinde ut conſtare poſſit, ſi familia vel augenda vel minuenda ſit, qua in parte commodiſſime poſſit fieri, illud autem ex abſoluta & perfecta diſpenſatione, hoc eſt cum in unaquaque diſpenſationis ſpecie etiam ſui officiarii exprimuntur, commodius conſtare poteſt, quam ſi ſilentio prætereantur.

Tertiò, qui ſtipendiorum ſolutioni ſuum præficiunt Theſaurarium, illi non omnia ſtipendia in unum locum colligunt, ſed in ſingulis diſpenſationum generibus non nulla commemorant, ut in Galliarum Regis diſpenſationibus videre licet, quales *au Guidon des Finances à la troiſieſme partie* deſcriptæ ſunt, ubi præter illa quæ à ſtipendiorum Theſaurario, qui *Threſorier de la maiſon du Roy* vocatur, etiam in unaquaque diſpenſationis genere non nulla ſolvuntur, nam ut alia taceam, Theſaurariorum ſinguli ſibi ſua perſolvunt. Si autem nonnulla ſtipendia, cur non omnia ſimul ſolventur?

Quarto Theſaurariorum unuſquiſque accuratiorem officiariorum, qui ſuæ diſpenſationis ſunt, notitiam habere poteſt, quam unus aliquis omnium ſtipendiorum, ut ad dubia ſtipendiorum debita, aliaſque difficultates quarum cura illi demandata eſt, animum diligentius advertat, quales ſunt ſubductiones de ſtipendii ſumma, quando ſcilicet aliquis ab officio ſuo, ſine venia & permiſſu, æquo diutius abfuit: etiam ſtipendiorum ſolutiones, & quaſi auctaria, morbos aut vulnera quæ ratione officii ſui acceperunt, ſecus ſi alio modo acceperunt, à ſtipendii ſumma deductio fieri debet. Huc adde liquido cõſtare poſſe quo tempore officiarii (ſi hoc contingat) ſuo munere abierunt, aut vita exceſſerunt, ut illorum hæredibus, aut etiam aliis poſtulantibus, ſtipendia non debita, ne ſolvantur, &c.

Si vero quis nobis occurrat, ſtipendia propterea in unum cogi locum, ut ſumma univerſorum haberi poſſit, huic reſponſum volo, illam majori compendio, & minore difficultate cognitam eſſe poſſe ſi ſingulares ſtipendiorum ſummæ unius cujuſque diſpenſationis colligantur, quam ſi ad ſtipendia quæ Theſaurarius ſtipendiorum diſſolvit illa ſtipendia, quæ per ſingulas diſpenſationum ſpecies ſparſa & quaſi diſſeminata ſunt, unum in locum contrahi deberent. Iſta commemoro propterea, ut cauſa intelligatur, cur officiariorũ ſtipendia, unumquodque ſub ſuæ diſpenſationis ſpeciem diſpartiverim. Interim tamen ſuum cuique & liberum arbitrium & ſui arbitrii ſententiæque interpres eſto.

FINAN-

FINANCIAE
EXTRAORDINARIAE
APOLOGISTICA ITALORVM
RATIOCINIVM IMITATA.

Q 2

Digitized by Google

ARGVMENTVM APOLOGISTICÆ FINANCIÆ EXTRAORDINARIÆ.

FInancia extraordinaria, ut in argumento Apologiſticæ Dominiorum monuimus, duorum generum eſt, unum illorum qui pecunias, vectigalia, aliaq; onera publica exigunt, ut ſunt mancipes Publicani, Coactores Quæſtoresq;, alterum vero Theſaurariorum aut Ærarii Tribunorum, qui acceptas pecunias diſpenſant. Quia verò ratio Apologiſticæ illorum ab horum Apologiſtica non parum diverſa eſt, diſtinctè ac ſeparatim de utrâque dicemus.

Primum quidem de Apologiſticâ pecuniarum à Quæſtoribus acceptarum, quæ generalis Apologiſtica Financiæ extraordinariæ dicetur.

Deinde verò de Apologiſtica diſpenſationum, id eſt pecuniarum à Theſaurariis expenſarum.

DE GENERALI
APOLOGISTICA
FINANCIAE EXTRA-
ORDINARIÆ.

Cuius capita erunt duo. in priore recenſio rerum eſt ad Financiam extraordinariam communiter pertinentium. poſterius Diarii, item acceptorum expenſorumq; Codicis materiam habebit.

Digitized by Google

I CAPVT.

RECENSIO RERVM QVÆ AD
Financiæ extraordinariæ Apologiſticam communiter attinent.

APologiſtica Financiæ extraordinariæ (quæ nobis capit.1. Apologiſticæ Dominiorum definita eſt) ſua forma tam ſimilis eſt ordinariæ Dominiorum, ut opus non eſſet illam hic definire, niſi materiæ, in qua occupatur, diſſimilitudo obſtaret. Quemadmodum enim Diarius à debitorum & creditorum, qui in præſens ſunt inventario initium ſumit, in quo primo loco annorum elapſorum, hinc labentis debitores creditoresque collocantur poſt quos quotidiana negotia, ut incidunt, ſequuntur: ſic etiam in hoc Diario eodem modo ſeſe ſequuntur. Præterea quemadmodum illic in acceptorum expenſorumque Codice poſita eundem ordinem quotannis ſervabant : ſic etiam in hac Apologiſticâ, & quidem eadem commoditate, ut illic diximus, ſervabunt. ut omnis diverſitas, quæ declarationis luce indiget, in materia tantummodo ſit, ut pecuniæ nimirum ab exactoribus ſive collectoribus extraordinariarum exactionum & publicorum vectigalium accipiantur, easq; in belli uſum & negotia impendant, cujuſmodi ſunt equites, pedites, ſtipendia, officiarii, arma, munitiones, maritimi belli apparatus, aliaque his ſimilia. Quapropter neque Diarium, neque acceptorum expenſorumque Codicem cum ſuis partibus aut nominibus deſcribam, cum iſta omnia ex Dominorum Apologiſticâ ſint cognita ſed tammodo de Materia aliiſque circumſtantiis hic agam.

Quia extraordinaria Financia aliis in locis eſt alia, illic major, hic minor, pro hoſtium ſcilicet bella gerentium facultatibus ac potentia. ita etiam Apologiſtarum numerus ubique non eſt idem. nam hic pluribus, illic paucioribus opus eſt, poteſt & unus uſpiam ſufficere. Quia vero generales regulæ certius & commodius è magnis quam parvis, è multis quam exiguis concluduntur, exempla, quibus claritatis & lucis cauſa utar, magnis accommodabo. in magnis igitur Financiis pluribus particularibus Collectoribus ſive Quæſtoribus (non ſecus quam in Dominiis fit) generalis aliquis præficitur, qui particularium Theſaurariorum comparatione (hiſce enim ad ſolvendum quibus æquum eſt, pecunias annumerat) etiam Theſaurarius generalis nominatur, qui univerſi accepti rationem reddere, & univerſo expenſo (etſi ſæpe per aſſignationem etiam fiat) ſeſe liberare debet. Huic autem generalem Apologiſtam, cæteriſque particularibus in primis commeatuum & munitionum Theſaurariis & Quæſtoribus particulares Apologiſtas, quot opus eſt, adjungendos cenſeo. In nonnullis Financiis aliquando uſu venit, quaſdam provincias in belli uſum, imperatam pecuniam & ſortem pendere ac contribuere, ut tamen unde aut quomodo eam conquirunt, non detegant, ſi illæ propterea Italorum Apologiſticam negligere nec illa fatigari ſe velle dicerent, ſine omni errore & difficultate res eſſet, quicquid enim hujus eſſet, ex illarum poſitis innoteſceret.

Ad dictos ſuperiores Apologiſtas ſingulis menſibus æſtimationes menſtruales mitti debent à Quæſtoribus & Theſaurariis inferioribus, nec non à particularibus ad generalem Apologiſtam, non ſecus quam 10 capite Apologiſmi Dominiorum à nobis declaratũ fuit, & ſi nomina alicubi impedita eſſent aut tarda, oſtiarii

oſtiarii & accenſi mittendi eſſent, qui debita exigerent. Sic enim innoteſceret quantum præſentariæ pecuniæ apud omnes, non tantum particulares ſed etiam generales Quæſtores ſub clavibus & in arca eſſet. item credita debita ad mancipes & publicanos uſque, quæ denique bona, quæ merces, etiam minima, quæque armariis aliiſque cellis repoſita ſunt.

Difficultates verò, quæ ex Apologiſmi hujus introducta conſuetudine fortaſſe exorientur, vitari & declinari eo modo poſſunt, quem ſupra primo capite extremo de Apologiſtica principalis diſpenſationis introducenda diximus.

2 CAPUT.

DE MATERIA DIARII, ITEM

acceptorum expenſorumque Codicis, in generali Financiæ extraordinariæ Apologiſticâ.

VT à generali Apologiſtica, hoc eſt à generalis Apologiſtæ, qui Ærarii Tribuno, ſive generali Quæſtori additus eſt, Apologiſmo exordium faciamus, initium primæ partis ſic erit.

o *Januar*. Variarum partium τὸ Debet per ſummam 1000000 ℔, quod dicto die ſequentes partes æſtimatis bonis inventæ ſint, de quarũ ſingulis planior declaratio eſt in locationis redemptioniſq; tabellis, contractibus, codicillis, aliiſque documentis iſto argumento confectis.

Huic partes convenienter ſubjiciendæ ſunt, ut Provinciæ contribuentes, Vectigalium & aliorum onerum publicorum Coactores, & qui ut plurimum Debitores manent, & alicui Apologiſtarum ſubſunt (è quibus ſicut generalis Dominiorum ordo eſt) generalis Collectio ſive Collector primo ſit loco, & partes Debitorum ſigillatim illi ſubditorum priori loco erunt.

Generali collectione ſive coactione deſcriptâ, particulariũ Apologiſtarum quiſque ſua coactura & ſumma, non ſecus ac in Dominiis, ſequentur. è quibus illum priore loco ſtatuo, qui commeatus armario, & penariæ rei præeſt, hoc pacto

Per commeatus armarium, quia ad hunc uſque diem æſtimatione factâ, τὸ Debet majus invenitur, quam τὸ Credit ut è Diario, item acceptorum expenſorumque Codice penariæ rei liquet, cujus in præſenti ſunt - - - - - - - 200000 ℔

Iſtud meditatione dignum eſt. Si generali Apologiſtæ per ſua negotia tantum eſſet otii, ut etiam armarii Apologiſta eſſe poſſet: ſingulæ ſpecies & bonorum, & debitorum, ſub generalem & jam dictam collectionem ſive acceptionem cecidiſſent.

Ad illud quod paulò antè è Diario, item acceptorum expenſorumque Codice liquere, diximus, etiam iſtud addi poſſe nota. Si apographa iſtorum librorum in generalis Apologiſtæ Tablinum inferrentur, ibique aſſervarentur, nunquam non in promptu eſſe poſſent. tanquam documenta omnium quæ ejuſdem partis ſunt. ut ad Armarii ſpecialem Apologiſtam accedere non eſſet neceſſe. Cujus rei mentionem quoque fecimus extremo capite decimo Dominiorum.

Quæ hic dicta ſunt de acceptorum diſpoſitione, in particulari annonarię rei Apologiſmo, quando nimirum τὸ Debet excedit, in aliis quoque Apologiſmi ſpeciebus locum habere poſſunt, nimirum illa quæ teſtant æſtimata in unam ſummam redigi & aggregari debere, cujus rei Diarii & Codicis apographa documenta ſint.

Primâ parte exactâ, ſecunda ſic incipiet.

o *Ianuar.* Summa debet per diverſas partes 500000 ℒ, dicta enim
die bonorum æſtimatione facta ſequentes Creditorum partes inveniebantur, de quibus ſingulis in contractibus, codicillis, aliiſque documentis, in hunc uſum factis, plenior explicatio eſt.

Creditores hujus generis, & quibus regnum ſive Provincia debet, ejuſmodi ſunt. Equites, pedites, στρατολόγοι qui militum delectum agunt, capitalium rerum præfecti & annonæ ſtructores. Teſſerarii, & ordinum ductores, metatores & menſores, curruum Præfecti, Cunicularii, Ignipotentes, Baliſtarii ſive Tormentarii, fabri lignarii, Foſſores, munitionum operæ, Scenopæi, Claſſiarii belli ſive ὁπλοποιῶν creditores. aliique extraordinarii. Si omnes iſti Theſaurarios cum tot Apologiſtis quot poſcit res ipſa ſortiti eſſent qui ſtipendia ſolverent, generalis Quæſtor cum ſuis creditoribus primo eſſet loco, qui ordo etiam in Dominiis fuit.

Quæſtura generali deſcripta, Quæſturæ particularium Apologiſtarum ſequentur, ſuâ quæque ſummâ. Si is, ut exemplo utar, qui rei penariæ præeſt, τὸ Credit epilogiſmi ſuorū librorum majus habet, quam τὸ Debet, non ad primam & præcedentem partem Debitorum, ut illic pro exemplo poſuimus, ſed ad ſecundam Creditorum nimirum referri debet. hoc pacto:

Per penariæ rei Armarium, quia iſto die facta æſtimatione τὸ Credit
majus invenitur, quam τὸ Debet, ut è Diario illius & Codice conſtare poteſt - - - - - - 30000 ℒ

Nota inter generales & particularium Apologiſtarū inſcriptiones hoc intereſſe diſcriminis, quod particularium Apologiſtarum reliquum in Diarii prima parte Debitorum, aut ſecunda Creditorum unâ tantum ſummâ ſcribatur; generalis vero Apologiſtę inſcriptio multas ſummas tam Debitorum quam Creditorum habeat. Cauſa autem diſſimilitudinis eſt, quod particulares Apologiſmi ad generalem Apologiſtam adferuntur concluſi, ut illos ſuis libris nondum concluſis interſerat.

Quæ hic de acceptorum diſpoſitione in particulari annotariæ rei Apologiſtica dicta ſunt, quando ſcilicet τὸ Credit, majus eſt, ad alios quoſvis particulares Apologiſmos transferri poſſunt.

ARGV-

DE

APOLOGISTICA

DISPENSATIONVM

FINANCIAE EXTRAOR-
DINARIÆ.

Digitized by Google

ARGVMENTVM APOLOGISMI DISPENSATIONVM.

ABſoluto generali Apologiſmo pecuniarum extraordinariæ Financiæ à particularibus coactoribus collectarum, quas illi porrò ad ſupremũ Quæſtorem tanquam Ærarii Tribunum deferunt, qui in generali ratiocinio & computo illas ſe accepiſſe profitetur, illasq́; viciſſim magnis ſummis inter particulares Theſaurarios ad belli ſumptus diſſolvendum diſpenſat ac diſpartitur, ut particulæ aliæque minutiæ in rationem ad rationariorum pluteum factam, aut Italicum Apologiſmum non incidant aut commemorentur, ſupereſt ut ſeparatim deinceps diſpenſationum illarum Apologiſmum referamus, & quidem iſti fini, ut ſi qui Apologiſtæ Italicum modum edocti iſtius autem ignari ad hujuſmodi Apologiſmum conferre ſe velint, aliquem hinc guſtum & notitiam capiant illarum quæ hic tractantur, & hiſce præceptis ſeſe accommodent. Apologiſmi hujus capita ſunt iſta.

Primum habet varias, ſed primarias Diſpenſationum Financiæ extraordinariæ ſpecies.

Secundum Apologiſmus eſt diſpenſationis in communiendis propugnaculis & caſtellis, & primum quidem de officiariis, & ſimul unà qua ratione hujuſmodi opera locare & redimere conveniat.

Tertium docet quomodo illa in Diario locatorum operũm ſint diſponenda, unà cum mercibus admuniendum propugnacula emptis.

Quartum Apologiſmum habet diſpenſationis apparatus & commeatus bellici.

Quintum eſt de vulgari formà modóque pluteailis ratiocinii Armamentariorum, & quomodo difficultates ſuborta vitari poſſint: una cum Apologiſmi concluſione ſuper reliqua Financiæ extraordinariæ diſpenſatione, ut ſunt bellici apparatus, & arma, commeatus, & negotia maritima.

Sextum docet de primà importatione & exportatione, hoc eſt initio & fine proprietatis mercium, quæ non tantum in Principis ſive Dominiorum, ſed etiam Financiæ extraordinariæ Diſpenſationes incidunt.

Septimum opinionem noſtram, quam de Apologiſmi antiquitate habemus, exponit.

1 CA-

1 CAPVT.

DE VARIIS ET PRIMARIIS *Diſpenſationum Financiæ exttaordinariæ ſpeciebus.*

QVandoquidem quæ 1 capite principalis Diſpenſationis generaliter de Diſpenſationis proprietatibus diximus, pleraque omnia etiam de bellica Diſpenſatione intelligi poſſunt, quãdoquidem tam hic quam illic eædem & pares difficultates incidunt, iterare illa & repetere hic non eſt animus, cum illa omnia rite intellecta eſſe arbitremur. illis itaque præteritis, primum de diverſis generibus dicam, quæ in extraordinaria Financia Franciæ, ut à Guidone deſcribuntur, ſeptem reperio, quæ Theſaurarii nomine ſignificata hujuſmodi ſunt.

Theſaurarius ordinariorum ſumptuum bellicorum.
Theſaurarius extraordinariorum ſumptuum.
Theſaurarius ordinariarum machinarum bellicarum.
Theſaurarius extraordinariarum machinarum.
Theſaurarius Armamentariorum.
Theſaurarius maritimarum rerum.
Theſaurarius communitionis limitanearum urbium.

Cauſſa cur ordinarius bellicorum ſumptuum Theſaurarius ab extraordinario diſcriminetur eſt iſta. In Francia genus quoddam militis perpetui eſt, quam catervam, illi Bandam ordinariam, appellant, quibus tam in pace quam in bello ſtipendia ſolvuntur, ideo illius officiarii & ordo ratiocinii à cæteris ſeparata relinquuntur. Et quia res bellicæ quotannis eodem ordine redeunt, neque ulli incidit mutatio, illi ordinarii milites, & illis præfectus Theſaurarius ordinariorum ſumptuum Theſaurarius generalis appellatur. Cætera verò, quæ belli tempore ſine ordine modoque, nunc plura nunc pauciora occurrunt extraordinaria vocantur, & qui illis mobilibus ſtipendia annumerat, Theſaurarius extraordinariorum ſumptuum bellicorum dictus, generalis Theſaurarius extraordinariæ partis intelligitur.

Generalis Apologiſmus, qui duorum generalium Theſaurariorum ſuperiore primo ſecundoque capite deſcriptus eſt. Quod autem illic unius tantũ Theſaurarii generalis meminimus, cauſa eſt, quod in aliis regnis & provinciis bellum in ordinarium & extraordinarium diſtinguendi nulla occaſio eſt, quod ordinariæ hujuſmodi Catervæ & Bendæ non ſint uſurpatæ: Et ſi maxime eſſent, ab uno tamen generali & communi Theſaurario utrique militi ſtipendia perſolvi poſſent. Cum enim extraordinarii milites & ſumptus ſupra ordinarios aliquando excreſcunt & ſuperant, ut tertio tamen Theſaurario generali non ſit opus, unum aliquem utrorumque ſtipendia ſolvere poſſe, in proclivi eſt intelligere. atque hujuſmodi mens & ſententia nobis illic fuit. Vbi tamen duo generales Theſaurarii ſunt, illic duobus Italicis Apologiſmis rem non minus effectum iri certum eſt.

Belli machinæ ordinariæ, ſumptus, & ſtipendia officiariorum qui bellicas machinas curant & tractant, quibus quotannis ſtipendia ſua ſolvuntur, & ſtipendiorum æſtimatio facile fieri poteſt, pars ordinaria: qui vero ſolvendæ illi pecu-

pecuniæ præeſt Theſaurarius ordinarius nominatur,ſed ſumptus & impenſæ in materiam factæ,ut ſunt tormenta bellica,globi & glandes,pulvis tormentarius, plauſtra, aliaque quorum numerus incertus eſt, neque præceptis comprehendi poſſunt quia hoc anno plura, illo pauciora ſunt, extraordinaria vocamus, & qui extraordinariorum ſolutioni præeſt, Theſaurarium bellici apparatus extraordinarium. Neque iſtud ordinariorum & extraordinariorum diſcrimen ubique in uſu eſt. neque mihi certe neceſſarium videtur, ob cauſas paulo ante commemoratas. Ideoque nos de illis tanquam communi diſpenſatione comprehenſis deinceps ſumus verba facturi.

Generali Apologiſmo, qui generali Theſaurario bellicarum rerum additus eſt à nobis 1 & 2 capite diligenter deſcripto, de particularibus apologiſmis, qui particularibus Theſaurariis adjunguntur, deinceps dicendum eſt, quos Diſpenſationum Apologiſmos nuncupamus, quæ vero in Francia pro particularibus Theſaurariis uſurpantur, hujus generis ſunt:

Diſpenſatio munitionum.
Diſpenſatio bellicorum apparatuum.
Diſpenſatio machinarum bellicarum.
Diſpenſatio commeatus.
Diſpenſatio rerum maritimarum.

2 CAPUT.

APOLOGISMUS DISPENSATIONIS

in communiendis propugnaculis, & primum quidem de officiariis, atque quomodo ejuſmodi opera locare & redimere conveniat.

ORdinarii adminiſtri ſive officiarii, qui ad bene informatam diſpenſationem requiruntur, ac de quibus generaliter 2 capit. Principalis Diſpenſationis tractatum eſt, etiam hic in communiendis urbibus & propugnaculis neceſſarii eſſe intelliguntur: neque iſtud prætereundum eſt,pro diſpenſatoris nomine, nomen Commiſſarii, ut vocant, hic uſurpari, qui tamen quæ diſpenſatoris ſunt efficit, & procurat,ut ſunt locare ædificia exſtruenda,materiam coëmere, rationem omnium inire & reddere, cui tanquam adminiſter Commiſſarius armamentarii,non ſecus quam Culinariæ rei Diſpenſatori peni procurator,adjungitur. ut coëmptam materiam curet & diſtribuat, accedit etiam Apologiſta, item Theſaurarius, Antilogiſta, & Ephorus, Superintendens vocari ſolet, qui gubernator & quaſi œconomus omnia inſpicit & moderatur, & quotidie quæ memoriam recentem requirunt, unà cum antilogiſta, ſubnotat ac tabulas conficit. quarum rerum notitiam haber, ut fuſius poſthac dicetur.

Quamvis autem in minutis molitionibus, & apud ædificatores res non magnæ, dictis præfectis & officiariis ſtipendia numerare conſultum, & ex re non ſit, tamen quid in magnis operibus fieri oporteat intelligere, utile eſt, ut in exiguis, quantum res & rei circumſtantiæ ferunt, quod ſequaris habeas, & ex metatoribus, operum redemptoribus, aliiſque eligas, qui præter ordinarias ſuas operas pari, aut etiam minore mercede pacta ædificationes hujuſmodi ſibi rediniant.

Ratio

Ratio autem, locandi & redimendi munitiones & propugnacula, non una ſed diverſa eſt. præcipua tamen capita, quorum mentio in Apologiſmo commode fieri poteſt ſunt iſta:

1. Propugnaculum aliúdve opus uni alicui redemptori locare qui illud ad juſtam & præſcriptam magnitudinem exædificatum damno & periculo ſuo præſtet.

2. Vt ſimili modo unius operis diverſæ locationes fiant, diverſis perſonis illud redimentibus.

3. Eſt locationis genus quam decempedalem nominabimus, cujus longitudinem latitudini æqualem decempeda metitur, altitudo vero unius pedis eſt, ut cum foſſa locatur in profundũ effodienda decempedali locationis genere, terra verò effoſſa in commonſtratum locum transferenda, figura operis neglecta.

4. Carra ſingula cum ſingulis * *ſarracis.*

5. Merces diurna.

6. Miſtio quarundam aut omnium modorum locationis: in magnis enim operibus, alibi alia eſt locandi & redimendi ratio eſt.

* *Sic nominamus ex vitruvio iuvenali & aliis quæ vulgo vehicula truſatilia dicuntur.*

Quantopere verò neceſſarium ſit aliquanto certius, quam antehac fieri ſolet, ratiocinium inire, redemptorum, foſſorum, lignariorum, cæmentariorum, ferrariorum, aliorumq́ue fabrorum, ut nemini plus aut citius æquo ſtipendium aut merces ſolvatur, aut etiam errore quodam defraudetur, illis cõſtare poteſt, quibus Italici Apologiſmi ope, & adjumento deſtitutis, cum magnis hujuſmodi operibus & munitionibus negotium fuit. Apologiſmum autem qui & maximè mihi probatur, & in munitionibus ILLVSTRISSIMI mei PRINCIPIS nunquam non uſurpatur & exercetur compendioſe & breviter complectar, ſi quis tamen meliorem, quod in votis mihi eſt, viam modumq́ue monſtraverit, minimè deſpiciam, ſed lubens monenti obſequar.

3 CAPVT.

DE LOCATORVM OPERVM

diſpoſitione in Diario, item de mercibus, ad propugnacula communiendum, coëmptis.

MVnitionum præfectus & exactor, quem Commiſſarium appellari diximus, ad munitionum apologiſtam quotmenſibus omnia, quæ elapſo menſe ineiderunt transſcribet, ut ſunt locationes, & factorum operum approbationes, materiæ emptiones, quamq́ue ex armamẽtario depromptam acceperit, atque etiam (ut aliquando uſu venit) vendiderit aut in armamentarium iterum intulit. Nec non Theſaurarius menſtrualem æſtimationem mittet omnium, quæ illo menſe acceperit, aut expenderit, non ſecus quam de Dominiorum Quæſtoribus à nobis jam antea dictum fuit: Menſtrualis vero ſcriptio ſive æſtimatio Apologiſtæ reddita, convenienter arti in Codicem referetur.

Paradigma vero hujuſmodi eſto 20 April. a°. 1606 Petro Ianſſonio Caſtellum cui Hoochlandium nomen eſt, cum quatuor propugnaculis ædificandum certa ac definita longitudine, latitudine, & altitudine locatum ſit, quæ iſtius ad Apologiſtam pertinent, ejuſmodi ſunt. aggeris decempedæ ſunt 120, quarum ſingulas 60 florenis redemit, exædificati & approbati operis dies præſtitutus eſt, tempus autem intra quod exædificari debet, ſunt duo menſes, qui vigeſimo

Iunii exeunt. Apographo autem metationis cum dicta menſtruali ſcriptione munimentorum Apologiſtæ 5 Maji redditis anno 1606 ad Diarium hoc pacto refert.

5 *Maji* munitio Hoochlandici Caſtelli debet per Petrum Ianſonium 7200 ℒ. illi enim locatum eſt ambitu ſuo habens 120 decempedas, quarum ſingulas ſexagenis florenis redemit. dies vero 20 Iunii abſolutioni operis præſtitutus eſt, pacta merces porro abſoluto & approbato opere ſolvetur. Quæ omnia, una cum pactis & circumſtantiis ſuis, clarius & evidentius ex conditionibus 20 Aprilis anno 1606 confectis, mihi vero 5 Maji redditis, poſſunt liquere - - - - - - - 7200 ℒ

Solutione autem integra, aut etiam ex parte à munitionis Theſaurario facta, ſecundum menſtrualis æſtimationis tenorem ita in Diario ſcribetur,

Petrus Ianſonius debet per Arcam, quæ ſolvit illi, &c.

Duarum modo dictarum partium in Codicem accept. & expenſ. translatione, tria poſita exiſtunt. primum munitioni debetur Hoochlandici Caſtelli, unde ſumma, in illam munitionem impenſa, per partes, aut integra ſimul cognoſcitur. Secundum eſt *Petri Ianſonii* redemptoris, ex quo nunquam non cujuſmodi illius ratiocinium ſit cognoſci poteſt. Tertium denique Arcæ eſt, cujus nomine Theſaurarius munitionis intelligitur, cujus ratio, item quantum præſentarii argenti in Arca ſit, perpetuo hic ob oculos poſitum eſt.

Ex iis quæ huc uſque dicta ſunt generalis regula Apologiſmi operum hujuſmodi locatione factorum manifeſta eſſe poteſt, quemadmodum enim partes caſtelli uni alicui homini, Petro nimirum Ianſonio locati formatæ ſunt. ita quoque ſi quatuor quinque, aut plures homines & quidem per partes (ut ſi illorum unuſquiſque unum propugnaculum cum cortinis) redemiſſent, informari deberent, tunc enim ſcribendum foret. Communitio Hoochlandici Caſtelli debet per varios. Quemadmodum porro hujus unius operis partes informatæ ſunt, ita omnes omnium munitionum partes, quas regnum aut provincia ſimili modo muniendas locat informari debere manifeſtum eſt.

Quandoquidem verò ratio modusque duarum partium nimirum τȣ̃ debet, & τȣ̃ credit apud alios Apologiſtas, alius atque alius eſt, & tamen omnes eundem ſibi finem propoſitum habēt aliquanto fuſius iſtam rem declarare animus eſt. In prima jam dicta parte ita ſcriptum fuit. Munitio Hoochlandici Caſtelli debet per Petrum Ianſonium. Aſt aliquis contra objecerit. Cum ſcriptio iſta fieret, Caſtellum nullum fuiſſe, & Petrum Ianſonium non ante creditorem fore, quam munitionem effectam reddiderit, item tempus incidere poſſe, ut nulla fieret munitio, quod aliquando uſu venit, aut etiam ut de pacta mercede aliquid detrahatur, quod redempto operi aliquid deſit, denique etiam auctarium aliquod addatur, propterea quod ad operis magnitudinem & molem aliquid acceſſerit. ut objectioni reſpōdeam analogiam & ſimilitudinem ſumam à Mercatorum Apologiſmo. Si quis piper emit, definito tempore tradendum, facit piper τὸ debet, & venditorem qui definito tempore emptum tradet τὸ credit, ita in Diario ſcribens, Piper debet per Iacobum Nicolai, error ullus hic deprehentur, Emptor enim ſe tantum piperis apud venditorem habere non ſecus ratiocinatur, quam ſi illud eſſet domi ſuę in cella cōcluſum. Si vero poſtea cōventione facta, aut alio quovis modo, Piper non acciperet, & aut ejus partem tantummodo, quantū deeſſet, tantum in Diario detraheret ſcribens, Iacobus Nicolai debet,

debet per piper. Iſtis partibus in acceptorum expenſorumque Codicem tralatis, *poſita* convenienti ſtarent formâ. Simili via ſi in communiendis caſtellis aut urbibus procederetur, deducendo ſcilicet à pactâ ſummâ quod minus æquo, aut illud addendo quod plus feciſſet, omnia *poſitorum* ratiocinia convenienter congruenterque Naturæ rei proceſſerint. Secus qui redemptorem non ante, quam redemptum opus perfecit creditorem facit, omnia in memoriali libello ad illud uſque tempus annotans, miram obſcuritatem inducit. Præſertim cum quicquid faciendum redemptori locatur, non in momento, ſed temporis ſucceſſu confieri poſſit, unde omnia memoriæ cauſa in codicillis aut pugillaribus ſcribi, debere conſequens eſt. Præcipuus fructus qui ex apologiſtica redundat eſt, ut omnium, quæ inter operandum muniendumque incidunt certa conſtet ratiocinatio, & propterea prior ille modus magis probatur.

Hiſce de majorum operum locatione ritè intellectis, de minoribus deinceps dicemus, quæ cartis, & ſarracis ſive truſatilibus vehiculis fiunt, ubi plumbei nummi uſus hujuſmodi aliquando eſt, ut ſinguli nummi in ſingula carra juſte onerata injiciantur ut merces pro carro terræ operis debita ſolvatur, ſeptimo enim vel decimo quarto quoque die, aut etiam alio, ſi ita commodum, colliguntur, & pro illorum numero, operis ſatisfieri ſolet. Numerum vero carrorum truſatiliumque vehiculorum, & quantum pecuniæ pro ſingulis ſolvatur Commiſſarius ſupputat, & in Codicillis memoriæ cauſa, ſecundum inſtrumenti ſui tenorem accuratè annotat, quæ deinde, notitia illorum per menſtrualem ſcriptionem ad munitionis apologiſtam delata, in Diario ita ſcribuntur. Munitio ſive fortificatio debet per operas mercenarias cum carris & vehiculis truſatilibus, pro quorum ſingulis ſolvitur, &c. Hinc facta ſolutio (quæ Apologiſtæ per æſtimationem menſtrualem Theſaurarii innotuit) hac ratione ſcribenda eſt. Operæ mercenariæ, &c. debens per Arcam, &c. Sic enim ſinguli redemptores atque mercenarii peculiare poſitum non habebunt, eſſet enim propter innumeram illorum multitudinem nimis moleſtum. Incommoda verò, quę hinc exiſtere poſſent eſt. quod iſta omnia committẽda ſunt fidei & cõſcientiæ illius qui plumbeum minimum in vehiculum injicit, nulla enim illius injectus indicia aut documenta adfert. ut magnorum operum ratio ab hac parte firmior ſit & certior, nam illic Commiſſarius, aut Logiſta & Gubernator opera inſpiciunt, approbant & teſtimonium ferunt. Eſt tamen ubi opera carrorũ magis ſit probata, cum nimirum magnorum, operum locatio ſit difficilior & inutilior, quod nullus admodum, aut infrequens redemptor ſit, aut clam inter ſe cõſpirant, aut labores ſuos non recte ſolutum iri metuunt, aut hiſce ſimilia incidunt. ut tamen ab illis plumbeorum minimorum injectoribus quam minimum circumveniamur, non inconſultũ eſſe videtur, quotidie ſemel, aut potius quater de die Commiſſario injectorum plumbeorum numerum in ſchedula inſcriptum reddi. Schedulis enim redditis, & in Commiſſarii codice inſcriptis nihil mutari poſſet, præterea majus periculum ab antilogiſta ſibi imminere à quo deprehendi poſſent, metuerent, penes quem memoria recens plumbeorum injectus eſſet, imo etiam carrorum numerum ab obſervatoribus delatoribusque clam annotatum eſſe metuerent ante, quam ſchedulæ redditę eſſent, ut vel hinc certior notitia ſit quam ſi quot ſeptimanis aut quot menſibus illud ſemel fieret. Huc accedit quod dictæ ſchedulæ carrorum indices Commiſſario redditæ à loci Gubernatore & Antilogiſta quotidie examinentur & ſubſcribantur, ut jam antea 11 artic. 3 capit. principalis diſpenſationis illud fusè à nobis explicatum eſt.

Tempus nunc eſt de diurna mercede conductis dicere. hic in pleriſque locis uſus obtinuit ut ſingulis talea detur, & contra talea etiam penes Ephorum & inſpectorem ſit, in quibus dierum aut etiam partium diei numerus incidi & annotari ſolet, ut merces ſeptimo, aut decimo quarto quoq;, aut etiã alio die operis illis ſolvatur. Numerum vero dierum & pecuniæ mercenariæ in memoriali libello officiarius ſcribit, juxta tenorem ſui inſtrumenti, cujus indicium poſtquam fecit Munitionum Apologiſtæ, per ſcriptionem menſtrualem ad Diarium hoc pacto refertur. Munitio debet per mercenarias operas quod debitum pro lubitu ſolvet, &c. Solutio facta, quę Apologiſtę propter menſtrualem Theſaurarii æſtimationem ignota eſſe non poteſt, ita ſcribetur: Mercenariæ operæ debent per Arcam: atque ſic neq; redemptorem, neq; mercenarias operas peculiare poſitum habere, neceſſe erit, quod alioquin permagnam moleſtiam, propter mercenariorum affluentiam & concurſum, haberet. Difficultas & impedimentum, quod ex hujuſmodi locatione exiſtere poſſet, & ab illis qui in taleis incidunt & annotant, quod illorum fide & conſcientia ſtandum ſit, ſine facti documentis & indiciis. Contra illos tamen ita iri poſſe videtur, ſi ſingulæ diei partes in taleis notentur, reliqua autem omnia fiant ſimiliter locationi per carra & vehicula truſatilia, de qua jamjam diximus.

Ad materiam quod attinet, ut ſunt lapis, lignum, calx, & alia omnia, ſi empta ſunt pecunia præſentaria, ita, Caſtellum Hoochlandicum debet per Arcam: *ſi* vero in diem, hic, Hoochlandicum Caſtellum debet per Petrum Ioannis, ſcribi ac notari debere manifeſtum eſt. Si quis vero materiam *τὸ* debet fieri debere, ideoque peculiare illius ratiocinium facere contendit, ille pro Hoochlandicum Caſtellum debet per Arcam, ſcribet lapis debet per Arcam, qui poſtea in Caſtello exædificando abſumptus ſuum *τὸ* credit iſto pacto ſortiretur, Hoochlandicum Caſtellum debet per Lapidem. Eadem cujuſvis materiei ratio eſt, non diſſimilis coëmptis cibariis, quæ diſtributa ac diſpenſata tandem ſuum *τὸ* credit naciſcuntur, quemadmodum in Principis diſpenſatione ſatis preſſe à nobis dictum fuit.

Dictis partibus in acceptorum expenſorumque Codicem convenienter relatis, unumquodque ratiocinium ante oculos poſitum clare repræſentatur, nec non quantum pecuniæ in Arca ſub clavibus Theſaurarius minutionũ habeat, præterea ſi quicquam æquo aut amplius, aut minus ſolutum ſit, ignotum eſſe non poteſt.

4 CAPVT.

DE DISPENSATIONIS IN APPAratum & commeatum bellicum factæ Apologiſmo.

DIſpenſatio bellici commeatus & apparatus mercatorũ quam ſimillima eſt, ut aliam deſcriptionem & ab illa diverſam non deſideraret, niſi forte non nemo apologiſtarum rudis plane rerum bellicarum, ad hoc tamen ſtudium & bellicum pulverem conferre ſe volens, hac inſtitutione adjuvari à nobis poſſet, ut expeditior certiorque omnium ſit. Commiſſarius enim pro Mercatore hic eſt. Armamentarium pro horreo & cella, pro Arcario eſt Theſaurarius armamentarii, hujus Apologiſta pro Apologiſta illius, Commiſſarii denique armamentariorum quæ in urbibus & Caſtellis ſunt, pro mercatorum inſtitoribus. itaque ſi Mercatorũ Apologiſmum ſequaris, tandem optato fine frueris. Nam & hic variarum mercium emptio & venditio eſt, cum præſentario argẽto, tum

etiam in diem, mercium item è publico & communi armamentario in privata ſive particularia, & privatorum inter ſe miſſiones ſunt; non ſecus quam mercatorum inſtitores faciunt.

Vt ad exemplum tandem veniamus prius de communi armamentario dicemus, rerum autem quæ nunc in bellico uſu ſunt, quæque in Commiſſarii armamentario præfecti ſua & diverſa capita, in acceptorũ vero expenſorumque Codice peculiaria poſita habenr, iſta ſunt genera. Primum caput eſt de militum telis, & armis, alterum de armatura, tertium de inſtrumẽtis ad Terræ foſſionem, & munimentorum exædificationem neceſſariis. Quartum de fabrilibus inſtrumentis etſi iſta à nonnullis in machinis bellicis numerentur. Quintum de capitibus variorum apparatuum belli, qui propriè ad nullum genus jam commemoratorum referri poſſunt, cum tamen eoĕmuntur ac diſtribuuntur. Tandem ad extremum caput unum eſt rerum miſtarum, quemadmodum enim ordinariæ pecuniarum rationi ſæpe extraordinaria aliqua ſubjicitur: ſic nobis vitio nemo verterit, ſi ordinariis apparatibus extraordinariorum miſtorumque caput ſubjungimus, rerũ ſcilicet quæ in armamentario quidem reperiuntur, ſed nullam unquam acceſſionem ad illas, nullamque ordinariam inter milites diſtributionem fore cognitum & exploratum eſt, ut ſunt lorica ex ferreis annulis cõſerta, phaleræ, equitum lanceæ, in quorum locum alia inſtrumenta inventa & ſuffecta ſunt, ut ſæpenumero uſu venit inſtrumentis in urbium ſubitam & improviſam aggreſſionem factis, quorum uſus poſtea nullus eſt. Præcipua autem capita quæ ad diverſa genera jam dicta referri debent hujuſmodi ferè ſunt.

Tituli de militum telis, atque eo ſpectantium.

Mosketa.
Sclopetus.
Sclopetus igniarius.
Furculæ mosketariæ.
Mosketorũ & ſclopetorum moduli.
Pulvis tormentarius.
Funis igniarius.
Formæ ferreæ.
Enſes.
Equitum gladii.
Vaginæ.
Haſtæ longiores.
Haſtæ breviores.
Bipennes.
Conti ſaltatorii, &c.

Tituli armorum, & quæ eo pertinent.

Chlamides.
Saga.
Thoraces à trajectu liberæ.
Galeæ à trajectu liberæ.
Equitum galeæ.
Clypei, &c.

Tituli inſtrumẽtorum ſubſtructionibus & munimentorum munitionibus neceſſariorum.

Ligones.
Rutra.
Sarcula.
Runcinæ.
Aſciæ.
Vectes.
Fiſtucæ.
Vehicula truſatilia.
Carri.
Batilli.
Arutænæ.
Molæ aquaticæ.

Tituli fabrilium inſtrumentorum.

Dolabræ.
Aſciæ.
Serræ.
Mallei.
Terebræ, &c.

Tituli varii apparatus bellici.

Signa.
Tympana.
Scalæ.
Cervi.
Murices.
Crates.
Χειρόμυλα.
Clavi.
Funes.

Huic noviſſimum caput de apparatuum bellicorũ miſtione ſuccedere poteſt. Expoſita rerum varietate de apologiſmo deinceps dicturi ſumus.

Vt Diarium Italorum more informetur, ante omnia inventarium bonorum omniũ, quæ in Armamentario reperiuntur cõficiendum eſt, cum Debitoribus & Creditoribus, qui fuerint eo die quando initium Diarii fit, quæ ut plurimum Kalendæ Ianuarię ſunt. reliqua deinceps eo, quo quotidie occurrunt ordine ſequentur. Singularium porrò armamentariorum apologiſtas quotmenſibus ad univerſalis armamentarii apologiſtam omnia, quæ illo menſe evenerunt, ſcribere debere conſilium meum eſt, ut ſunt, mercium emptiones, armorum, pulveris tormentarii, igniariorum fomitum ſeu funium inter chiliarchas & centuriones, aut alios quoſvis diſtributiones. item quæ ex univerſali armamentario aliiſque particularibus acceperunt, aut alio etiam miſerunt. Generalis autem apologiſta particulares Commiſſarios pro ſuis inſtitoribus habens, in tranſmiſſarum partium apologiſmo præceptis, quæ ſexto capite Apologiſmi mercatorum tradidimus uſquequaque inſiſtet, & nunquam non ad primam mercium & bonorum importationem, & noviſſimam exportationem animum advertet qua de re Poſtea 6 cap. agemus.

Hactenus de immotis & eodem loco manentibus armamentariis, qualia in Vrbis & Caſtellis ſolo fixa ſunt, diximus. Præter quæ etiam aliud genus eſt, loco nimirum mobile, & quod caſtra ſequitur, utrorumque tamen generalis & communis apologiſmus eſt. non aliter enim hujus apologiſta quotmenſibus ſtatum & conditionem, quæque illo menſe evenerunt ad generalem apologiſtam perſcribet, ut illa ſimiliter ſuperioribus in Codicem referat.

5 CAPVT.

DE VVLGARI FORMA RATIOcinii *Armamentariorum ad pluteum facti, & quomodo difficultates quæ ſuboriri poſſent, ſint vitandæ, una cum concluſione reliquarum diſpenſationum Financiæ extraordinariæ, ut ſunt apparatus bellici, arma, commeatus, & negotia maritima.*

QVandoquidem non inutile futurum eſt illis, qui ſe ad hujus pulveris apologiſmum Italicum conferre volent, communem formam modumque ratiocinii armamentariorum ad pluteum facti cognitum & perſpectum habere, nonnullam declarationem illius hic ſubjiciam.

Ante omnia illud nobis præmittendum puto Commiſſarium bellicorum commeatuum procuratorem tanquam promum neque bonorum precia, neque ſummam pecuniæ qua ſunt taxata, neque diem ſolutioni præſtitutum, neque alias hujuſmodi circumſtantias in ſuo ſcribere ratiocinio, illa enim curæ Librariolorum aut Apologiſtarum Financiæ relinquit, ſed illa ſolummodo quorum rationem reddere tenetur, ut ſunt multitudo bonorum & varietas, menſura, pondus, & numerus.

Atque ſic cuique bonorum generi ſuum caput & ratiocinium aſſignat, unum ſcilicet bombardico pulveri, alterum igniariis fomitibus ſive funiculis, & cæteris deinceps ſimiliter. Primo quoque loco accepta hinc expenſa locans, finito autem unius generis ratiocinio, alteri us accepta & expenſa incipit, atq; ſic ſingulorum quæ curæ ſuæ demandata ſunt, rationem reddit.

Quia

Quia vero acceptarum expenſarumque rerum ſyllabi & apochæ diverſas ut plurimum ſpecies habent, quarum quæ congeneres ſunt in unum locum cogi debent, manifeſtum eſt partes ſyllabi ſive catalogi hujuſmodi non ut in ſyllabo continuè ſeſe ſequuntur, ita in ratiocinio ſcribi debere: ſed ab uno genere ad aliud ſæpe tranſiliendũ eſſe, dum homogeneæ ſpecies colliguntur ex quo modum audiendi & æſtimandi hujuſmodi ratiocinia à vulgari pecuniarum ratiocinio alium & diverſum eſſe conſequens eſt, hic enim ut poſitæ ſunt partes, ita conſequenter cum ſuis documentis & approbationibus expediuntur, illic verò quia ob cauſas jam dictas in varia capita diſparatæ ac quaſi diſſeminatæ ſunt, neque articuli ordine ſeſe conſequuntur inter examinandum æſtimandumque ordo rerum congenerum ſequendus eſt; & ab uno capite ad aliud ſæpe tranſiliendum erit, prout genera bonorum & mercium exigunt.

A librariolo porrò aut Financiæ apologiſtâ coëmptarũ rerum elenchus fieri ſolet, inter quas etiam pondus, menſura, & numerus bonorum ſunt, cum quibus ſi pondus, menſura, numerus unius articuli rationis congruere reperiuntur, illa inquam convenientia pro documento & indicio eſt iſtius partis, ideoq; in margine illius articuli folium ſyllabi adſcribi ſolet, ut ita utriuſque convenientia & congruentia certa eſſe arguatur.

Concluſio ratiocinii armamentariorum ad pluteum facti, etiam non nihil diſcrepantiæ ac diſcriminis à vulgari concluſione ratiocinii pecuniarum habet, hic enim concluſio ad finem libri ſemel ponitur: illic vero unicuique generi ad finem expenſorum ſuus eſt epilogiſmus, ubi acceptorum expenſorumque differentia indicium facit, quantum in quoque genere * Diſtributor pondus, menſuram, & numerum rerum excedit aut exceditur. * le rendant.

Hiſce quæ de Armamentariorũ ratiocinio diximus, illud etiam adjungam. In provinciis diuturno & longinquo bello vexatis Commiſſarios & apparatuum bellicorum Curatores ratiocinio impeditos & intricatos multos annos abſque ratione inita aut reddita tranſmittere, ut tandem ad ratiocinii epilogiſmum perveniri poſſe nulla ſpes illis affulgeat. Quamvis autem hujuſmodi difficultas præter alias quæ incidere ſolent per Italorum Apologiſmum explicatu facilis foret, cui rei Apologiſtæ, magnorum Mercatorum inſtitores, non minoribus negotiis, quam iſta ſunt, occupati, argumento eſſe poſſunt, qui acceptorum expenſorumque non uni, ſed pluribus Dominis ſimul non tantum menſuræ, ponderis, numeri, ut hic, ſed etiam pecuniæ, dierum ſolutioni præſtitutorum, aliarumque quæ huc pertinent rerum rationem quam expeditiſſimè reddere poſſunt: tamen quia Italorum Apologiſmus res eſſet nimis hic inſolens & nova, cujus inventio non tam facile ſperari poteſt, dicam quâ viâ difficultatem illam, meo quidem arbitrio & conſilio, extra Italorum Apologiſmum antevertere aut declinare poſſis, etiam illius artis rudis, atque ignarus. Via autem ejuſmodi eſt.

Vt qualibet hora, aut quotieſcunque opus erit, cujuſmodi merces & quæ bona in Armamentario ſint, cognoſcas, Armamentarii Procurator & Commiſſarius quot ſunt bonorum ſpecies, totidem ſelidum ſive columnarum (ut vocant) paria ſingulis ſuas epigraphas & titulos inſcribet, ut, una ſelis ſit acceptorum, altera expenſorum. Deinde acceptis expenſisve quibuſdam bonis, menſuram, pondus, numerum cujuſque ſpeciei ut eſt in ſyllabo, ita in ſelide dicta notabit, numero ſyllabi, nihil autem præterea, adſcripto. non aliter quam ſupra in acceptorum expenſorumq; Codice principalis diſpenſationis capite 6 factitatum fuit. Atque ſic experimentum unius armamentarii quantum emo-

Digitized by Google

lumentum ab hac viâ modoq; ad alia quævis armamentaria redundare poſſit, facile nobis perſuadebit. Vt autem iſta exemplo fiant clariora, duo ſelidum paria, alterum pulveris πυρινοῦ ſive tormentarii, alterum igniarii fomitis proponam, ut ſequitur.

Acceptus pulvis bombardicus.		*Expenſus ſive diſtributus pulvis bombard.*		*Acceptus igniarius fomes.*		*Expenſus ſive diſtributus igniarius fomes.*	
n°	℔	n°	℔	n°	℔	n°	℔
7	13578	20	1580	18	2176	24	317
25	8420	28	2170	26	61958	30	4184
31	35786	34	3484			32	8642
33	67435	40	10462			35	10234
		42	8725			39	7632
		48	15648				

Si omnia pundo tormentarii pulveris igniariique fomitis, omniaque omnium acceptorum expenſorumque documenta ad eum uſque diem tranſlara ſunt, Armamentarii procurator & ſtructor, Armamentarii ſtatum æſtimatum, quaſi ante oculos poſitum habebit. Interrogatus itaque quantum bombardici pulveris in Armamentario ſit, in acceptorum ſelide collectâ ſummâ, numerus totus erit 125219 ℔. unde ſubductâ ſummâ quæ in expenſorum eſt, nimirũ 42060 ℔, reliquus numerus quæſitus eſt 83150 ℔. Quia vero in quâque ſelide nihil aliud ſcribitur quam numerorum nudæ notæ abſque vocabulis, exiguum admodum & pene nihil ſcriptionis hic eſt, ut pro nihilo labor ducendus ſit.

Illud autem non notatum ne abito. Si alicujus armamẽtarii aliquot anni qui in rationem & putationem non veniſſent, imo etiam ſine ſpe ad illorum epilogiſmum veniri poſſe, eſſent elapſi, hâc viâ tamen illorum rationem ad Epilogiſmum ſive concluſionem facile adduci poſſe. Nam poſito centena pondo ſive articulos ita tranſlatos expediri poſſe unâ horâ: 2000 articulos 20 horis expeditum iri manifeſtum eſt. Quapropter unius anii 2000 articuli, qui numerus ſatis magnus eſt, 20 horis ex conſecutione & analogia abſolvi & expediri poſſunt.

